QVOMODO SERENVS SAMMONICVS A MEDICINA PLINIANA IPSOQVE PLINIO PENDEAT.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

IOANNES KEESE

ROSTOCHIENSIS.

ROSTOCHII

TYPIS CAROLI BOLDTII

MDCCCXCVI.

Ref.: Prof. **ab Arnim.**

MANIBVS MATRIS

I.

Q. Sereni libri medicinalis[1] argumentum ex aliis collectum sit auctoribus an nil nisi ea contineat, quae ipsius Sereni invenit ingenium, propositum mihi est accuratius inquirere. Quae tamen quaestio ex altera parte per se ipsa absolvitur. Auctor enim, qui Gordianorum temporibus librorum studio tenebatur[2], quis est qui miretur, quod artis ipsius medicae minime erat peritus? At ex altera parte digna est quaestio, quae peragatur, cum adhuc levissime tractata sit. Multa quidem viri docti contenderunt; sed nemo est, qui, quae posuit, causis re vera firmaverit. Atque primus quidem Caesarius, deinde Hummelbergius, tum alii quos apud auctores similes invenere locos in commentariis textui adiectis adnotaverunt. Laudandus etiam Ackermannus[3] est, qui in praefatione editionis suae de Sereno ejusque carmine fusius disserit.

Iam equidem quaeram, quis sit conexus inter Serenum et Plini Secundi iunioris de medicina libros, quos breviter ‚Medicinam Plinianam' laudare liceat. Permultos enim locos ex illa Serenus sumpsit. Sane quidem hoc ei mirum

[1] cf. Meyer, artis botanicae historia II, p. 209 eqs.

[2] Spartian. Carac. 4, 4.

[3] Q. Sereni Samonici de Medicina praecepta saluberrima. Lipsiae, 1786.

videbitur, qui noverit illam commentationem Val. Rosei in Hermae vol. VIII, p. 18 eqs. Nam doctissimus ille vir de tempore, quo Medicinam Plinianum conscriptam esse censet, haec:

> „(p. 35) Marcellus ist so der erste erhaltene Schriftsteller, der das breviarium Plinii anführt und gebraucht, und dadurch die einzige feste äussere Zeitbestimmung für seinen Verfasser gibt, die überhaupt zu ermitteln ist, abgesehen von dem alten Plinius selbst, seiner Quelle; dieser aber liegt er offenbar weit ab. Der Sprache nach jünger als Gargilius Martialis, kann er nur in das Jahrhundert gehören, das dem Marcellus zunächst liegt, während er doch diesem wieder nicht zu nahe stehen kann: denn Marcellus hält ihn für einen wirklichen, aber von dem alten Plinius verschiedenen Schriftsteller, namens Plinius, nicht für das, was er zweifellos ist, einen Pseudonymus. Also zwischen 300 und 350!"

Me quidem indice Medicina Pliniana scripta est ante Sereni aetatem.

Sed singula argumenta videamus.

I.

Med. Plin.[1] p. 31, 9: acetum et sal gargarizatur.
Ser.[2] v. 278: Angina vero mixtum[3] sale poscit acetum,
Quod refert clauso versatum agitare palato.

---

[1] Plinii Secundi quae fertur una cum Gargilii Martialis medicina. ed. V. Rose. Leipzig 1875.

[2] Poët. lat. min. ed. Ae. Behrens, III, p. 103 eqs.

[3] Angina vero mixtum O (sic, nisi quod Anguina **c**, Angina supra i posita u **f** Angine **b**); quod ,iam' inserendo Behrensius se correxisse putabat. A. Baur quidem (Quaestiones Sammoniceae. Diss. Giessen 1886, p. 28) acquiescendum censet in vulgata lectione ,Verum angina sibi mixtum'. Sed hoc minime fieri potest. Docto illi viro inspiciendum erat, quid L. Müller (comment. Lucil. p. 267) de prosodia vocis ,angina'

Facile animadvertes Serenum poëtica ratione vocem Medicinae Pl. ‚gargarizatur' circumscripsisse. Si autem quis dicat Medicinam Pl. hanc compositionem e Sereno hausisse, hoc uno loco eum refutare nequeo.

II.

M. Pl. 55, 17: aqua bibitur, in qua holera decocta sint addito sale.

Ser. v. 406: Aut viridis coctorum olerum potabitur unda.

Verba ‚addito sale' Serenus silentio praetermisit. An tu putas legendum esse in Medicina Pl. ‚⟨non⟩ addito sale'? Ad Plini[1] quidem hist. nat. XX, 95 Sereni versum l. spectare nego.

III.

M. Pl. 44, 19: in his languoribus si febris non sit marina aqua lavari utile est.

Ser. v. 438: Proderit et lymphis corpus mersare marinis.

Vix crediderim ipsum auctorem Medicinae Pl. haec verba ‚si febris non sit' ultro additurum fuisse, si Serenum secutus esset; nam illa addidit certe homo rei medicae peritus. Is autem, qui utrumque auctorem eodem libro

---

dixerit. Quam habere productam syllabam hic recte negavit. Duo enim loci exstant, unde natura syllabae plane perspiciatur. (Lucil. sat. 30, 38; Plaut. Trin. v. 540.) Neque tamen id probo, quod ille rei metricae peritissimus vir conjecit:

Angina vero sibi mixtum sale poscit acetum.

Nam Serenum (etsi imperatorum temporibus multae productae syllabae magis magisque evanescunt) hac in re poëtas secutum optimos vocem ‚vêrô' semper extrema syllaba producta pronuntiasse, e versibus 155, 956, 1061 cognosci potest. Atque eandem prosodiam adhibitam videmus in v. v. 95 (ideô), 103 (rarô), 453 (crebrô). Contra voce ‚ergo' Serenus et producta (v. 811) et brevi (vv. 73, 663, 997) utitur, Ovidium, ut videtur, imitatus. Probabilem igitur emendationem desideramus. Egoquidem ratus attributum aliquod, quod ad nomen ‚sale' pertineret, excidisse lego:

Angina vero albo mixtum sale poscit acetum (cf. v. 1105: sal niveum).

[1] C. Plinii Secundi naturalis historia. rec. D. Detlefsen. Berlin, 1871.

usum esse opposuerit, iis, quae secuntur, refutabitur. Nil igitur obstat, quominus coniciamus Serenum versum 438 e Medicina Pl. sumpsisse.

IV.

M. Pl. 72, 4: Beta ex melle et fico imposita morbis articularibus medetur.

Ser. v. 702: Si vero articulos tabes inimica per omnes
Haeserit, ex ficu betas cum melle ligabis.

V.

M. Pl. 91, 16: euphorbio ex aceto nares tanguntur.

Ser. v. 1001: Conveniunt acidis euphorbia mixta fluentis
Gramina vel rutae gemina si nare trahantur.

Hos quoque versus Sereni ad Medicinam Pl. reducendos esse puto. Sereni autem in vocibus ‚gramina vel rutae' nullo modo offendamus; de his alio loco. (p. 34.)

His, quos tractavimus, locis si eas compositiones, quae in Sereno et Medicina Pl. exstant, apud Plinium quaesiveris, frustra tempus conteres. Nullum qui re vera huc spectet locum invenies.

VI.

Nunc ad principem locum transeamus.

M. Pl. 106, 10: Antidotum mithridaticam laudant medici eiusque compositiones diversas afferunt et ad commendanda migmata pretiosa propter raritatem ingentes pecunias poscunt. . . . . Pompeius autem magnus Mithridate devicto invenit in scrinio eius ipsius manu scriptam compositionem, qua ille praesumpta adversus omnia veneficia in totum diem tutum se incolumemque praestabat: nuces iuglandes duae, ficus siccae duae, rutae folia XX, salis granum I in unum (codd. **g d** in vinum **r b**) contunduntur et devorantur a ieiuno.

Ser. v. 1061: Antidotus vero multis Mithridatia fertur
Consociata modis; sed magni scrinia regis
Cum raperet victor, vilem deprendit in illis
Synthesin et vulgata satis medicamina risit.
Bis denum rutae folium, salis et breve granum,
Iuglandesque duas, tereti tot corpore ficus,
Haec oriente die parco conspersa Lyaeo
Sumebat, metuens, dederat quae pocula matri.

cf. Plin. hist. nat. l. 23, § 149.

Sereni verba ‚antidotus — modis' ad Medicinae Pl. ‚compositiones diversas afferunt' spectant neque minus ‚scrinia' ad eandem vocem Medicinae Pl. Atque facile est intellectu Serenum pro voce ‚compositionem', quam Medicina Pl. praebet, ‚synthesin', formam metro aptiorem, posuisse. Sed summi momenti est ipsa compositio. Hic cardo vertitur. Nemini enim dubium esse potest, quin Serenus ‚in vinum', minime ‚in unum' legerit. Profiteor quidem nusquam apud antiquos scriptores, qui hanc compositionem commemorant, vinum ceteris ad synthesin faciendam necessariis rebus additum inveniri. Errore igitur aliquo, sane antiquissimo, vinum in vulgatum illud medicamentum irrepsit. Alia autem ista quaestio est, num auctor ipse Medicinae Pl. in eo, quem excerpserit, libro invenerit ‚in vinum'. Nam fieri potest, ut quis dubitet, num Plinio illud remedium debeatur. Neque enim de scriniis regis neque de tota quae antecedit in Medicina Pl. expositione Plinius habet aliquid. Sed haec haud magni momenti sunt. Contra e compositione ipsa elucet, quis auctor sit. Hoc vero sufficiet adnotare auctorem Medicinae Pl., cum respiceret verba Pliniana ‚simul tritis', scripsisse ‚in unum contunderere' [1].

Quodsi compositionis vim respicimus, haud prorsus omittendum nobis est, quomodo apud diversos qui hanc

[1] Ad elocutionem cf.: contere in unum Marc. Empir. (ed. Helmreich) p. 228, 32; M. Pl. 95, 19, fundere in unum Col. confluere in unum Cic. leg. 2, 3; in unum trita M. Pl. 31, 3; 32, 1.

compositionem afferunt auctores illa antidotus tractetur. Atque primum nomino Galenum, qui hanc compositionem praebet, sed — id quod dignum est commemoratu — sub nomine Apollonii Myos:

XIV, p. 146 ed. Kühn: ‚προφυλακτικὰ θανασίμων φαρμάκων Ἀπολλωνίου Μυός. ℞ πηγάνου φύλλα κ΄. κάρυα βασιλικὰ β΄. ἁλὸς χόνδρον ἕνα, ἰσχάδας β΄. ταῦτα νήστει ἐσθίειν δίδου καὶ κωλύει βλάπτεσθαι ὑπὸ τῶν θανασίμων.‘

Eae autem, quas Mithridaticas nominat, antidoti septem plane aliae sunt, de quibus cf. p. 107—154. E quibus unam apud Scribonium Largum[1] aliam apud Celsum[2] invenies. At Marcellus Empiricus de venenis et antidotis tacet itemque Rufus Ephesius. Neque in libro Aretaei, qui antidotum Mithridaticam concoctioni et urinae movendae commendat, ipsa compositio legitur. Deinde Gargilius Martialis c. III, v. 4 eqs.: ‚docuit et rex ponticus Mithridates, qui cum fratris sui timeret insidias, rutae folia XX cum duabus nucibus et totidem caricis admixto salis grano cottidie ieiunus accepit‘.

Hic igitur eandem ac Galenus mixturam nomine tamen Mithridatis regis allato commendat. Et hoc quoque notare velis Gargilium scripsisse ‚cum fratris sui timeret insidias‘, quibuscum verbis conferenda sunt illa Sereni ‚metuens, dederat quae pocula matri‘. E quibus locis fortasse aliquis concluserit Mithridatem matre veneno interfecta metuisse insidias fratris, qui caedem nefariam ulcisci cuperet. Sed confiteor, cum scriptores historiae legerem, tale quid me non invenisse. Denique Dioscorides[3] similem compositionem affert:

π. ὑλ. ἰατρικ. III, c. 45: [περὶ πηγάνου] . . . . ‚καὶ τῶν φθαρτικῶν φαρμάκων ἐστὶν ἀντίδοτος, ὅσον ὀξυβάφου

[1] ed. Helmreich, p. 170.

[2] ed. Daremberg, p. 181 v. 27 sq.

[3] Pedanii Dioscoridis Anaz. de mat. med. libri ed. C. Sprengel, Lipsiae 1829.

τοῦ σπέρματος ποθέντος ἐν οἴνῳ. καὶ προβρωθέντα δὲ τὰ φύλλα καθ' ἑαυτὰ καὶ μετὰ καρύων βασιλικῶν καὶ σύκων ξηρῶν, ἄπρακτα καθίστησι τὰ θανάσιμα'.

Et I, c. 178: *[περὶ καρύων βασιλικῶν]* ,. . . . . . *καὶ θανασίμων φαρμάκων ἐστὶν ἀντιφάρμακα, προβρωθέντα καὶ ἐπιβρωθέντα σὺν ἰσχάσι καὶ πηγάνῳ.*'

Atque *περὶ εὐποριστ. φαρμάκ.* II, c. 136: . . . . ,*κάρυα βασιλικὰ μετὰ ἰσχάδων καὶ πηγάνου φύλλων προεσθιόμενα καὶ ἐπιβρωθέντα σὺν πηγάνῳ καὶ ἐλαίῳ*'.

Mithridaticam autem nusquam appellavit antidotum.

Quid historici de his rebus tradunt? Plutarchus, Pompej. vit. (ed. Sintenis) c. 32, in fine: regem iis, qui ex fuga eo confluxissent, pretiosas vestes distribuisse, amicis quoque singulis letale venenum dedisse, ne quis invitus in hostium potestatem veniret.

Et initio c. 37: *,Ἐν δὲ τῷ καινῷ φρουρίῳ καὶ γράμμασιν ἀποῤῥήτοις ὁ Πομπήιος ἐνέτυχε τοῦ Μιθριδάτου καὶ διῆλθεν οὐκ ἀηδῶς αὐτὰ πολλὴν ἔχοντα τοῦ ἤθους κατανόησιν.*'

Dio Cass. (ed. Melber) XXXVII, c. 13 narrat regem, cum letali medicamento interire potius quam Romanis subici mallet, nihil invenisse, quod eum interimere posset. cf. Galeni *π. ἀντιδ.* I, c. 1. — Ex Appiani Mithr. (ed. Mendelssohn p. 553) § 111 comperimus praeter ea, quae Dio Cass. tradit, regem compositionem ,*περὶ τῷ ξίφει*' secum tulisse.

His, quos attuli, locis me tibi persuasisse puto Serenum e Medicinae Pl. hausisse. Quid? Nonne Roseus Medicinam Plinianam recentiori aetati quam, qua Serenus fuerit, tribuendam esse censet? Sed priusquam haec, quae inter se pugnare videntur, persolvimus, singula libri medicinalis capita omnia deinceps perquiramus et videamus e Medicina Pliniana quae ducere possint originem. Ac primum exscripsimus locos, qui sine dubio e Medicina Pl. orti sunt, deinde de quibus dubitari potest.

Caput III.

M. Pl. 12, 15: farina feniculi (cod.[1] feni graeci Roseus) cum vino et nitro porriginem purgat, et furfures ex aceto.

Ser. v. 35: Aut tu feniculum nitrumque et sulphura viva
Contere, deinde caput permixtis ablue cunctis;
Furfuribusve novis durum miscebis acetum,
Ut varios crines tali des unguine puros.

Roseus falso textum Medicinae Pl. mutavit. Nobis enim persuasum habemus ‚furfures‘, quod Medicina Pl. habet, non genus quoddam esse porriginum, sed proprie dictos ut nos dicimus ‚Kleie‘. Fieri non potest, ut porrigo haud vetus aceto depellatur. Nam huic interpretationi cum v. 37 (vid. ‚miscebis‘) et v. 38 tum maxime v. 68 obstant, ubi Serenus hoc, de quo agimus, praeceptum repetit. Hoc loco ‚furfur‘ proprie dictum esse nemo negabit. Itaque locus Medicinae Pl. neque ad Plin. XXIV, 185, ut Roseus vult, neque ad § 187 spectare potest, ubi haud quaquam de voce ‚Kleie‘ quaeritur.

Sed ne ea quidem, quae antecedunt in Medicina Pl., Plinio deberi videntur. In Medicina Pl. et in Sereni carmine idem praeceptum exstat, quod hic ex illa sumpsit. Sed Medicinae Pl. textum corruptum videmus. Facillime quidem corruptela existere potuit. Nam inter verba ‚cum‘ et ‚vino‘ vox ‚sulphure‘ excidit, quo facto verbum ‚vivo‘, tum sensu carens, scriba in ‚vino‘ mutavit. Itaque conicio ita restituendum esse Medicinae Pl. locum: ‚farina feniculi cum ⟨sulphure⟩ vivo et nitro porriginem purgat . . . .‘

C. IV.

M. Pl. p. 16, 17: Operae pretium est is qui erubescunt senes videri succurrere et si canos suos inficere

[1] cod. Vat.-Reg. 1004, quem libris mscr. **d** et **g** auctoritate parem vel superiorem esse Koehlerus (Hermae, vol. XVIII, p. 382 eqs.) dicit, verba ‚tritum infricatur‘ usque ad ‚vino et nitro‘ omisit. Videtur igitur antiquissima esse corruptela textus.

volunt, tamquam annos detracturi sint hoc nomine aetati, vermium terrenorum cinerem adiciant in oleo, quo caput perunguant.

Ser. v. 43: Quos pudet aetatis longae, quos sancta senectus
Offendit, cupiunt properos abscondere canos
Et nigrum crinem fuco simulare doloso
His prodest . . . .
. . . .

48: Lumbrici quoque terrestres miscentur olivo
Et iuvenem praestant redivivo flore capillum.

Serenus, cum scriberet prooemium huius capitis, respexisse videtur finem capitis V. Medicinae Pl. vel potius verbotenus in orationem poëticam transposuit. Ex illo igitur capite versus quoque 46 et 48/49 quin orti sint, dubium esse nequit:

M. Pl. 16, 14: Folia cupressi trita ex aceto efficiunt, ut capilli nigri renascantur.

Ser. v. 46: His prodest acri contrita cupressus aceto,

cf. Plin. 24, 15: Diosc. *π. ὑλ. ἰατρ.* I, 102.

Fortasse vox Medicinae Pl. ‚renascantur' versum 49 Sereni elicuit.

C. V.

De v. 68 cf. p. 12.

M. Pl. 13, 4: lendes et alia capitis tetra animalia, quae nocent, lotione aquae marinae necantur.

Ser. v. 69: Unda maris lendes capiti deducet iniquas
Et quicquid crebri defendit silva capilli.

cf. Plin 31, 65; Diosc. *π. ὑλ. ἰατρ.* V, 19. *π. εὐπ. φαρμ.* I, 107.

Quod versus 35 eqs. e secundo capite Medicinae Pl. sumpti sunt, hos quoque versus ex eodem capite profectos esse atque enuntiatum relativum indefinitum versus 70 verbo ‚alia' Medicinae Pl. quasi elicitum esse crediderim. Sane quidem vox ‚alia' per se tibi valde displicebit. Nam lendes non sunt animalia, sed cimicum ova. Ideo Plinius melius: ‚lendes quoque et taetra animalia capitis'. Qui obiter utrumque auctorem legerit, ex hoc loco concludere

potest, Medicinam Pl. hoc praeceptum Sereno debere et vocem ‚aliud' e v. 70 ortam esse. Sed talia verbis ‚capitis taetra animalia' refelluntur, quae apud utrumque exstant.

C. VI.

M. Pl. 99, 23: Urina asini cum suo luto imposita sedat. fimus bubulinus impositus.

Ser. v. 73: Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis,
Quod facit ex asino saccatus corporis umor.
Nec pudeat tractare fimus quod bucula fudit.

cf. Plin. 28, 244.

Apud Plinium eadem praecepta atque in Medicina Pl. exstant neque ulla difficultas oritur, quod Plinius fimum bubulum aperte commendat bois curandis. Sedtamen mirum esset, quod et auctor Medicinae Pl. et Serenus eodem modo verba Plini reddidissent.

Sed quod Urlichsius[1] vult, minime quadrat. Falsissime doctus ille vir versum 75 mutavit, cum codicum auctoritate nescio cur plane omissa scriberet ‚sucula'; item talem sententiam Plini, qualis e versibus Sereni cognosci potest, turbavit, cum versum 75 cum iis. qui antecedunt, cohaerere iuberet. Atque Detlefsenum vitupero, quod Urlichsi conjecturam in textum editionis recepit.

M. Pl. 100, 17: pustulis suilli fimi cinis vel cornus cervini cinis ex aqua inlinitur.

Ser. v. 76: Stercoris ex porco cinerem confundito lymphis:
Sic pavidum corpus dextra parcente foveto.

cf. Plin 28, 233. Marc. Empir. p. 43, 15.

M. Pl. 100, 8: lupinorum farina ex aceto subacta in balneo papulis inlinitur.

Ser. v. 82: Aut acido Baccho miscebis farra lupini
Atque hinc in calido percurres membra lavacro.

cf. Plin 22, 155. Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. II, 132.

[1] L. Urlichs, vindiciae Plinianae, No. 633.

M. Pl. 100, 9: pruritus sedant cocleae minutae, tritae, impositae.

Ser. v. 85: . . . . cocleaeque minutae
Quarum contactu perimetur acerba libido.

cf. Plin 30, 121.

Tres allatos locos Serenus Medicinae Pl. debet. Haecce autem addenda sunt. In versu 82 Serenus verbis ‚acido Baccho miscebis farra lupini' adumbrat Medicinae Pl. ‚lupinorum farina ex aceto subacta'; contra Plinius praebet ‚farina lupinorum aceto subacta'. Plini autem elocutionem me intellegere nego. Num ‚aceto' pro dativo habebis? Manibus quidem subigi farina potest, minime aceto. ‚Subigere' apud scriptores rerum medicarum cum praepositione conjunctum invenies. Itaque conicio Medicinam Pl. genuinam phrasim servasse et apud Plinium restituendum esse ‚ex aceto subacta'.

C. VII.

M. Pl. 92, 4: pulmo pecudis calidus circa caput alligatur.

Ser. v. 91: Convenit e calidis pecudum pulmonibus apte
Tempora languentis medica redimire corona.

cf. Plin. 30, 95.

M. Pl. 92, 3: suffitus lanae sucidae prodest.

Ser. v. 93: Inlotis etiam lanis suffire memento.

cf. Plin. 29, 31.

Hos locos, quos in diversis libris Plini legimus, auctor Medicinae Pl. in unum caput contulit, ex quo Serenus hausit. Quod Serenus (et Plinius) ‚pecudum', Medicinae Pl. auctor ‚pecudis' scripsit, nullius momenti est.

Sed vocem, ‚cerritum' versus 94, quam in eo, quod sequitur, enuntiato subaudire mihi displicet, malim coniungere cum illa ‚medicantur'. ‚Suffire' vero per se poni posse constat.

C. VIII.

M. Pl. 14, 18: quae celerrime complentur pellium viperinarum cinere sparso. cf. Plin. 29, 109.

Ser. v. 108: Vipereae pellis cinerem his addito rebus.

Quamquam in verbis v. 108 ‚his addito rebus' vitium latere videtur — id quod Baehrensius recte adnotavit —, tamen dubitari nequit, quin ipsum remedium sit genuinum et corruptela careat.

M. Pl. 15, 4: Roboris pilulae cum adipe ursina (**g**, ursino **d**, **b**, Plin.) tritae emendant.

Ser. v. 109: Roboreasve pilas ursino iungito sevo.

cf. Plin. 24, 13.

Roseum errare opinor, cum (in editione M. Pl.) ‚adipe ursina' in textum recipit. Plinius enim, e quo auctor Medicinae Pl. hoc medicamentum excerpsit, semper adipem masculino generi tribuit. Eorum, qui de medicina scripserunt, soli Marcellus et Celsus verbum ‚adeps' pro feminino habent. Itaque malim ‚ursino'.

cf. Neue lat. Formenlehre I, 695; V. Rose, in indice ed. s. v. adeps; Bauer l, l. p. 38 s. v. adeps.

C. IX.

M. Pl. 24, 6: Cinis testarum ostrearum in cibo pane colligitur in modum salis.

Ser. v. 119: . . . . seu cassis ostrea testis
Usta dabit cinerem, qui pro sale sumptus in escis
Decutit in[1] gelidum calefacto vertice virus.

cf. Plin. 32, 65; Marc. Emp. 113, 3.

Versum 121 Serenus ipse addidisse videtur. ostreae enim inesse vim quasi igneam vulgo dicebatur. cf. ex. gr. Gal. XII. p. 345.

C. X.

M. Pl. 34, 15: Ulceribus in facie manantibus bulbi triti ex aceto et sulphure medentur.

---

[1] cod: Decutit et **()** Decutiet **f.**

Ser. v. 135: Nec frustra bulbos et sulphura iungit aceto,
Qui cupit horribiles ad pristina reddere vultus.
cf. Plin. 20, 102.

Versum 136 Serenus composuit, ut remedium allatum meliore forma ornaret. Nil valet, quod codices secundae classis[1] eum omiserunt.

M. Pl. 34, 16: nitrum ex melle et lacte bubulo succurrit.
Ser. v. 137: Praeterea nitrum debes cum melle iugatum
Spargere lacte bovis varias sic ungere frontes.
cf. Plin. 31, 120.

C. XII.

M. Pl. 18, 5: Si aliquod animal intravit, praecipuum est remedium murium fel aceto dilutum instillare.
Ser. v. 176: Si vero incautas animal penetraverit aures,
Proderit admixto pavidi fel muris aceto.
cf. Plin. 29, 134.
M. Pl. 18, 6: si aqua fugiat, adeps anserinus cum cepae suco inlinitur.
Ser. v. 178: At si lympha nocens pervaserit, anseris aptus
Inmittetur adeps ceparum non sine suco.
cf. Plin. 29, 134.

Liceat pauca de Medicina Pliniana p. 18, 6 addere. libri mnscr. habent: ‚si aliquod animal intravit, ... instillare. si aqua fugiat et adipe anserino (g. d. si aqua intraverit adeps anserinus **r. b.** Plin.) cum cepae suco inlinitur.' Quod sensum attinet enuntiatorum, controversia esse nequit. Iam Plini verba exstant. Roseus autem me iudice nimis violenter textum corrigere studuit, cum scribit deteriores codices secutus: ‚si aqua fugiat, adeps anserinus cum cepae suco inlinitur.' Nego enim enuntiata seiungenda esse. Et ideo maluerim: „si aliquod animal . . . . instillare, si aqua [sc. intravit], fugiet adipe anserino cum cepae suco inlinito." Codicum lectio ‚fugiat et' facile e ‚fugia$\overset{et}{t}$ existere potuit.

[1] De libris mnscr. Sereni propediem alio loco disputabo.

C. XIII.

M. Pl. 22, 16 . . . . . lanaque sucida ex oleo aut (g. V.-R. ‚et‘ d. ‚ac‘ Plin.) vino.

Ser. v. 193: Sed dolor inmeritum lumen si forte lacessit,
Lana madens oleo noctu conectitur apte, . . .

cf. Plin. 29, 126.

E verbis traditis coniciendum est Serenum in Medicina Pl. legisse ‚aut‘ et addidisse vocem ‚noctu‘, ut hexametrum compleret.

C. XIV.

M. Pl. 26, 19: acetum si in ore contineatur, gingivas stringit et dentes continet.

Ser. v. 231: Aut acidi latices clauso volvuntur in ore.

cf. Plin. 23, 59.

M. Pl. 25, 4: aeque folia rubi, in quo mora nascuntur.

Ser. v. 232: Manditur apta rubus gingivis et bona labris.

cf. Plin. 24, 118.

Nemo dubitabit, quin Serenus hunc versum e Medicina Pl. sumpserit. Plinius enim de ‚vitiis oris‘ loquitur; Serenus autem auctorem Medicinae Pl. secutus est, qui in linea l. l. proxime antecedenti illa vitia diviserat in ‚vitia gingivarum et labiorum.‘

M. Pl. 28, 7: cervini cornus farina in dolore vel conluuntur vel fricantur.

Ser. v. 234: Quod vero adsumpsit nomen de dente fricando,
Cervino ex cornu cinis est . . . . .

cf. Plin. 28, 178.

M. Pl. 28, 9: ossa ex ungulis suum combusta eundem usum praestant.

Ser. v. 235: . . . . aut ungula porcae torrida;

cf. Plin. 28, 179.

M. Pl. 27, 21: cavis dentibus cinis murini fimi inditur.

Ser. v. 239: Exesos autem dentes si forte quereris,
Ure fimum muris, patulis et hiatibus adde.

cf. Plin. 30, 22.

M. Pl. 27, 26: idem vermium cinis inlitus dolentibus iuvat:
Ser. v. 243: Prodest et pulvis lumbrici corpore tosto.
cf. Plin. 30, 23.
M. Pl. 25, 15: si ferventia os intus exusserint, continuo sanatur gargarizatione lactis canini.
Ser. v. 244: Ora ambusta cibo sanabis lacte canino.
cf. Plin. 30, 27.

In promptu est omnes hos locos e Medicina Pl. sumptos esse.

C. XV.

M. Pl. 29, 4: cinis aneti uvam levat.
Ser. v. 276: Aut illam pulvis tosti relevabit anethi.
cf. Plin. 20, 196.
M. Pl.: 29, 3: radicum brassicae cinis tactu reprimit.
Ser. v. 277: . . . . vel torrida brassica flammis.
cf. Plin. 20, 95.
M. Pl. 35, 15: in cervicum dolore poplites utiliter fricantur.
Ser. v. 280: At si cervices durataque colla rigebunt,
Mira loquor, geminus mulcebitur unguine poples
Hinc longum per iter nervos medicina sequetur.
cf. Plin. 28, 60.
M. Pl. 34, 19: Adipis anserini perunctio remollit.
Ser. v. 283: Anseris aut pingui torpentia colla fovebis.
cf. Plin. 30, 107.
M. Pl. 35, 3: Lenticula in aceto discocta.
Ser. v. 284: Inlinitur valido multum lens cocta in aceto.
cf. Plin. 22, 144.
M. Pl. 35, 11: fimus caprinus cum bulbis inlinitur.
Ser. v. 285: Aut caprae fimus ex bulbo . . . . . .
cf. Plin. 28, 192.
M. Pl. 30, 7: Si quis ⟨qua⟩ grillum contriverit manu, suas tussillas vel alienas tetigerit, levabit.
Ser. v. 287: Quos autem vocitant tolles, attingere dextra
Debebis, qua gryllus erit pressante peremptus.
cf. Plin. 30, 32.

Unde id, quod interiectum est, praeceptum (v. 277: aut cinis ex coclea . . . .) sumptum est? Num conexus est inter hunc locum et Med. Pl. 29, 1 (uvae cinis testarum eqs. cf. Plin. 32, 65)? Fortasse respicienda est Med. Pl. 29, 10; haec quidem verba sunt nondum sanata. In v. 284 autem Serenus, ni omnia me fallunt, diligentissime vestigia Medicinae Pl. secutus est. Nam illud ‚multum coctum' expressit ex ‚discoctum'.

C. XVI.

M. Pl. 49, 7: . . . adversus quam lactucae caules quanto maiores et amariores in patina coquuntur ex aqua et sic eduntur.

Ser. v. 289: Noxia si cholerum penitus saevire venena
Perspicies, cocta lactucae fronde levabis,
Proderit et caules adsumere saepe madentes.

cf. Plin. 20, 67.

Tussi medendo Serenus, quantum video, compositiones e Medicina Pl. non sumpsit.

C. XX.

M. Pl. 73, 8: pilulae platani tusae ex aceto impositae.

Ser. v. 378: Aut platani pilulas acri infundemus aceto.

cf. Plin. 24, 44.

E voce ‚acri', qua et Serenus et Plinius utuntur, minime concludi potest hunc esse auctorem.

C. XXII.

M. Pl. 56, 6: Hederaceis[1] vasis in potione semper utendum est.

Ser. v. 404: Mollibus ex hederae tornantur pocula lignis:
Hinc trahet adsuetos aeger quoscumque liquores.

cf. Plin. 24, 79.

[1] Lectionem codicum teneo; Roseus coniecit: ericaeis.

M. Pl. 56, 5: corymbi hederae poti vel inliti prosunt.
Ser. v. 409: Aut hederae sucus potu adpositusque iuvabit.
cf. Plin. 24, 76.

M. Pl. 55, 18: Eius, qui cottidie ieiunus ervum ederit, lienem consumi certum est.

Ser. v. 414: Nonnulli memorant consumi posse lienem,
Si qui ervum semper ieiuno sumpserit ore.

cf. Plin. 22, 151: si quis ervum cottidie ieiunus edit, lienem eius absumi certissimi auctores adfirmant.

M. Pl. 57, 1: haedi lien impositus idem praestat.
Ser. v. 417: . . . . . vel splen adponitur haedi.
cf. Plin. 28, 201.

Fieri potest, ut alicui Serenus in v. 414 magis ad Plinium accedere videatur. Nam in verbis utriusque, ut hoc credat, mentio auctorum eum adducere potest. Ad hoc accedit, quod uterque compositionem eodem sententiarum conexu — ratio inter apodosin et protasin est conditionalis — exprimit. Sane quidem haec essent argumenta, si omnino restaret dubitatio, utrum Serenus Medicinam Pl. excerpsisset necne. At ex aliis, qui contulimus, locis elucet poëtam hoc caput Medicinae Pl. excussisse. Itaque non est, quod alia origo huius compositionis desideretur.

C. XXIII.

M. Pl. 44, 3: sextarius farinae lini seminis sextarius feni graeci cum pari mensura mellis ex aqua mulsa decocti calidi imponuntur saepius.

Ser. v. 431: Languida si duro turgent praecordia morbo,
Miscetur mulsae farris sextarius una
Nec non et lini tunsum siliquaeque legumen:
Haec decocta simul nondumque tepentia nectes.

cf. Plin. 20, 251.

M. Plin. 44, 8: cydonia cruda vel cocta ceroti modo in panno inlinuntur et calefacta praecordiis super imponuntur.

Ser. v. 435: Aut quae poma Cydon Cretaeis misit ab oris,
Cocta lines, durum ut possis mollire tumorem.
cf. Plin. 23, 101.

M. Pl. 44, 1: et ocimum tritum impositum praecordiis prodest. cf. Plin. 20, 122.

Ser. v. 437: Ocima praeterea bulbive linuntur amari.

M. Pl. 43, 23: bulbi triti inliniti ventri bene molliunt.

M. Pl. 43, 21: His caninus catulus lactans (**g.** lactens **d.** Plin.) subinde apponitur inque eum vitium transire constat: defunctum obrui moris est.

Ser. v. 439: Quin etiam catulum lactantem adponere membris
Convenit: omne malum transcurrere fertur in illum;
Cui tamen extincto munus debetur humandi.
cf. Plin. 30, 42 et 64.

Verba ‚in panno' e vocibus ‚ceroti modo' Plini quasi elicita esse videntur; itemque vox ‚calefacta' ingenio auctoris Plinianae tribuenda erit. Serenum autem Medicinae Pl. auctorem secutum esse inde verisimile est, quod uterque poma cocta inlini dicit, Plinius autem hunc usum nescit.

Quamquam ob verbum illud ‚fertur' (Plin.: creditur) suspicio existere potest Plini locum l. a poëta esse excerptum, diligentius inquirenti extemplo in mentem venit in Med. Pl. 43, 23 sqq. tres compositiones se excipere, sed in Plini libro XX. unam in § 104, aliam in § 122, permultis paragraphis interpositis, tertiam in libro XXX. exstare. Serenus vero, quaecunque apud Med. Pl. 43, 21 inveniuntur, praebet. Deinde vocem ‚lactans' nonne confirmat atque illam ‚apponitur' in Pliniana legit? Denique magni est momenti Serenum et auctorem Medicinae Pl. remedio allato dicere ‚defunctum' catulum sepeliendum esse; contra Plini verba alio quoque modo explicari possunt.

C. XXIV.

M. Pl. 58, 14: lana sucida in oleo pice liquida sulphure vivo nitro ⟨aceto⟩ fervefactis intincta quam fieri potest calidissima bis in die ponitur.

Ser. v. 451: Aut pice cum molli nitrum sulphurque et acetum
Sucida lana rapit contacta calentibus isdem.
Proderit hanc aegris crebro perducere membris.
cf. Plin. 29, 32.

Suspecta est vox Medicinae Pl. ‚attico'. Ego quidem dubito, num ‚atticum' nitrum, cuius mentionem alio loco neque Plinius neque auctor Medicinae Pl. faciunt, re vera in arte medica adhibeatur. Plinius autem ‚acetum' inter eas, e quibus componendum est remedium, partes commemorat. Deinde Marcellus Emp. 247, 16 cum Plini verbis consentit. Itaque pro ‚attico' lego ‚aceto'.

M. Pl. 58, 9: radix similiter asparagi trita et in vino potui data lumborum dolori medetur, cataplasma ad idem.

Ser. v. 454: Aut caput asparagi cum vino sume vetusto
Seu mavis adpone: modus conducit uterque.
cf. Plin. 20, 109. — Marc. Emp. p. 173.
Diosc. π. ὕλ. ἰατρ. II, 151.

Est animadvertendum a Sereno asparagi caput, sed eiusdem radicem a Plinio et auctore Medicinae Pl. allata esse. Equidem puto Serenum eodem modo ‚caput' usurpasse pro ‚radice', quo Cato[1] et Columella[2] et Plinius[3] capita vitis dicunt pro radice vitis.

Nullo autem modo Roseo assentiri possum, cum verba ‚cataplasma ad idem' uncis circumcludit. Ad ea quidem, quae antecedunt, re vera illa verba pertinent. Hanc enim compositionem ad lumborum dolorem sanandum non solum potui dari, sed etiam cerati modo adponi posse auctor dicit — id quod poëta canit in v. 455. (Sane Plinius tacet de hoc usu.)

M. Pl. 58, 16: sulphur vivum imponitur cum adipe.

Ser. v. 456: Aut adipe inmixtum lumbis inducito sulphur.
cf. Plin. 35, 176.

[1] r. r. c. 33.
[2] III. c. 10.
[3] 17, 204.

Serenus iure illud sulphuri attributum omittere potuit. Sulphure enim vivo, ut ait Plinius 35, 175, solo ex omnibus generibus medici utuntur. cf. v. 451.

C. XXV.

M. Pl. 53, 14: ova ex aceto macerantur ex his et farina et aqua panis coeliacis fit.

Ser. v. 488: Coeliacos autem recreabis pane salubri,
Quem madido farre efficies ac mollibus ovis,
Quorum testa fero prius evanescat aceto[1].

cf. Plin. 29, 49.

M. Pl. 51, 14: per se bulbi triti dantur in vino austero: potio miscetur caelesti aqua.

Ser. v. 491: Refert et teretes bulbos mollire terendo
Cumque his Lenaei durum potare fluentum.

cf. Plin. 20, 104.

C. XXVI.

M. Pl. 95, 22: radices sambuci in vino decoquuntur et ex eodem vino duo cyathi poti hydropicos exinaniunt.

Ser. v. 498: Conveniet tenerae radix decocta sabuci
In geminis calidi cyathis potanda Lyaei.

cf. Plin. 24, 52.

M. Pl. 96, 11: helleborum contusum ut sit pulvis: deinde commiscebimus illud radicibus . . . . .

Ser. v. 506: Elleboro bene purgatur lymphaticus error.

cf. Plin. 25, 60.

Plinius diversa genera hellebori distinguit atque album probat optimum hydropicisque aptissimum; auctor autem Medicinae Pl., apud quem talia desiderantur, usum plantae in pulverem contusae copiose explicat. Si quidem licet Plin. 25, 55 afferre, conici potest nigrum solere helleborum adhiberi a medicis. Conexus igitur inter utrumque auctorem nullus est. A poëta vero, qui generaliter de vi

[1] Baehrensius versus Sereni falso interpunxit; qui quomodo corrigendi sint, dubium non est.

medicinali hellebori dicit, c. XXVI Medicinae Pl. inspectum esse verisimile fit e v. 498 sqq. Fortasse mirum videtur, quod non accuratius fontem exscripsit. Sed hoc medicamen ab antiquissimis temporibus notissimum erat; ex. gr. apud Horatium, quem Serenum e v. 529 apparet novisse, legimus od. II, 2, 13 haec:

,Crescit indulgens sibi dirus hydrops
,Nec sitim pellit, etc.

Itaque poëtae supervacaneum visum est alios hoc docere; mentio medicaminis sufficiebat.

C. XXVII.

M. Pl. 46, 19: pruna a ieiuno eduntur.

Ser. v. 517: Prunaque conveniunt, quae mittit clara Damascus.

cf. Plin. 23, 132.

Verba ,quae — Damascus' Serenus e mente addidit. Nam prunis myxisque caput illud Coelesyriae satis insigne erat et clarum. cf. Pl. 13, 51; 15, 43.

M. Pl. 46, 10: lac caprinum potatum cum sale et melle.

Ser. v. 524: Vel cum lacte caprae salsum mulsumque capessis.
Crede tamen potum meliorem lactis equini:
Dicitur hic dulces asinae praevincere sucos.

cf. Plin. 28, 203.

M. Pl. 47, 6: thalassomeli iucundissime purgat sine stomachi vexatione et odore grato et sapore, quod sic fieri debet: aquae marinae et aquae caelestis eadem mensura et mel eiusdem portionis permiscentur, et servatur in vaso fictili picato.

Ser. v. 532: Saepe thalassomeli adiecto cumulavimus imbri:
Haec purgant, parili fuerint si pondere micta.

cf. Plin. 31, 68.

Versus 525/6 ingenio poëtae tribuo.

C. XXIX.

M. Pl. 54, 18: quae pelluntur poto cervini cornus combusti cinere.

Ser. v. 564: Ergo cinis cornu cervini proderit haustus.

cf. Plin. 28, 211.

C. XXX.

M. Pl. 59, 9: Colo et omnibus intestinorum doloribus . . .
. . . efficacissime subvenit avis galerita . . . .
sive ipsa assata in cibo sumatur . . . . .

Ser. v. 575: Mande galeritam volucrem quam nomine dicunt.

cf. Plin. 30, 62. — Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. II, 59.

C. XXXI.

M. Pl. 62, 11: leporis cerebrum in vino bibitur, ...

Ser. v. 587: Quondam etiam nimio praeceps urina fluento
Inrigat exuvias obscenoque inficit imbre.
Tum leporis cerebrum ex vino potare licebit.

cf. Plin. 28, 215.

C. XXXIII.

M. Pl. 23, 11: lana sucida ⟨in nares coicitur⟩[1] cum oleo rosacio et auriculae lana sucida spisse obturantur, . . .

Ser. v. 630: Lana oleo madefit, sed nondum lauta rosato.
Haec datur in nares vel claudit densius aures.

cf. Plin. 29, 31.

C. XXXIV.

M. Pl. 105, 18: sanguis vespertilionis.

Ser. v. 663: Ergo locum crinis vulsi continge cruore,
Quem dat avis, tremulis simulat quae pellibus alas.

cf. Plin. 30, 132.

M. Pl. 105, 13: Sanguisugae vivae tostae in vaso fictili ex aceto inlinuntur per horas tres, deinde in balneo abluuntur.

Ser. v. 670: Nec non e stagnis cessantibus exul hirudo
Sumitur et vivens Samia torretur in olla:
Haec acidis unguit permixta liquoribus artus
Evulsamque vetat rursus procrescere silvam.

cf. Plin. 32, 136.

[1] lectio ed. princ. r, quae confirmatur codice R.-Vat. (cf. p. 12, not.)

Serenus vocem M. Plinianae ‚vivae' metricam ob causam in ‚vivens' mutasse videtur. ‚Samiam' autem ollam nihil aliud quam fictilem esse constat. cf. Plin. 35, 160. Porro adiciam ea, quae Serenus ante rem ipsam dixit (v. 656 sq.), strictim tangere argumentum prooemii Medicinae Pl. (p. 105, 5 sq.) et ex. gr. ‚evulsos pilos' in v. 663 et 673 iterum inveniri.

C. XXXV.

M. Pl. 63, 21: ad idem faex vini inlinitur.
Ser. v. 679: Faece etiam vini genitalia lauta levantur.
cf. Plin. 23, 65.
M. Pl. 64, 13: tumores testium marina aqua utiliter foventur.
Ser. v. 680: Et tumidos testes Nereïa lympha cohercet.
cf. Plin. 31, 65.
M. Pl. 63, 14: bulbi triti ex vino mulso inliniti medentur.
Ser. v. 681: Vel bulbi ex mulso . . . .
cf. Plin. 20, 103.
M. Pl. 63, 19: faba in vino cocta et contrita inflationi, ...
Ser. v. 682: Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.
cf. Plin. 22, 140.
M. Pl. 64, 18: cocleae minutae tritae ex melle inlinuntur.
Ser. v. 686: Sin autem existet duratis glandibus inguen,
Proderit induci cocleas cum melle minutas.
cf. Plin. 30, 75.

Non est mirum, quod poëta significationem vocis ‚inlinitur', quae ab auctore Medicinae Pl. exhibebatur, verbo ‚lavare' expressit (v. 679).

C. XXXVI.

M. Pl. 43, 9: genistae rami plurimis diebus in aceto macerantur, deinde tunduntur et coquuntur: ex eo suco cottidie cyathus potui datur.

Ser. v. 698: Nec non et tenerae gracili de fronde genestae
Arreptos caules acidoque liquore madentes
Sumere conveniet . . . .

cf. Plin. 24, 66; — Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. I, 109.

M. Pl. 43, 7: rubiam qua pelles conficiuntur cottidie bibere utile est. (sic cod.)

Ser. v. 700: . . . . rubiam quoque ducere potu.

cf. Plin. 24, 94; Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. III, 40.

Conferas apparatum criticum Medicinae Pl., ubi cod.: ‚bibere est. Lauri et . . . .' quae verba si quis cum illis Sammoniceis comparaverit, recte inde concluserit lectionem codicum esse servandam.

Tum de textu Pliniano pauca addere liceat. Ianus coniecit ‚frondei' pro illo ‚fronde in' codicum. Sed praepositionem ‚in' tenendam esse puto, quoniam Medicina Pl. illam servavit, et legendum: ‚frondei in'. Denique verba à Sereno illustrata sic interpretor: rami frondei sunt caules, in quibus folia genistae sedent, vernaculo sermone ‚blattstengel'.

C. XXXVII.

M. Pl. 82, 7: sordes ex auriculis pecudis inlinuntur.

Ser. v. 716: Auribus aut pecudis molles expromito sordes,
Unguine quo fotis dabitur medicina papillis.

cf. Plin. 30, 108.

C. XXXVIII.

M. Pl. 82, 20: Fimus columbinus cum lini semine ex aceto mulso imponitur.

Ser. v. 726: Dulcacidum laticem cum lini semine iunge
Atque fimum Paphiae pariter compone columbae,
Hinc line duratas partes et clausa venena.

cf. Plin. 30, 107.

M. Pl. 83, 2: idem praestant et lupini triti.

Ser. v. 729: Praeterea triti reserant adoperta lupini.

cf. Plin. 22, 156; Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. II, 132.

Et Serenus et auctor Medicinae Pl. lupinos teri iubent; de qua re silet Plinius.

C. XXXIX.

M. Pl. 40, 7: ad hunc autem morbum facit optime potio haec: ovum crudum in vaso funditur, putamen eius repletur suco marrubii atque in idem vas coicitur, item repletur melle et similiter ibi adicitur et ita permixta calefactaque ad teporem haec hausta vomicam rumpunt, purgant, ad sanitatem perducunt.

Ser. v. 750: Ovum defundes in fictile, deinde putamen
Marrubii suco implebis, post melle liquenti
Omnia consociata tepenti prospera potu
Sumantur: reserantque malum purgantque levantque.

cf. Plin. 20, 244.

Roseus errat, cum dicit (in Hermae vol. VIII, p. 23, 2) hanc potionem esse ab auctore Plinianae ipso inventam. Quaerenti enim fontem compositionis mihi Plinius se obtulit; qui in lib. XX, 244 tale quid habet, ut fieri possit, ut auctor Medicinae Pl. illi hoc remedium debeat.

C. XL.

M. Pl. 97, 22: Vermes terreni ex aceto inlinuntur.

Ser. v. 759: Lumbricos terrae mixtos inducis aceto.

cf. Pl. 30, 106.

M. Pl. 98, 2: ruta ex aceto et oleo inlinitur.

Ser. v. 760: Aut parili nova ruta modo, sed iungis olivum;

cf. Plin. 20, 141.

M. Pl. 98, 7: ova cocta trita cum oleo imponuntur et operiuntur folio betae,

Ser. v. 761: Ovaque cum betis prosunt super inlita tritis.

cf. Plin. 29, 40.

M. Pl. 98, 2: alii cinis ex oleo et garo inlinitur.
Ser. v. 762: Allia dant cinerem sociandum oleoque garoque,
Unguine quo gliscens deponet flamma furorem.
cf. Plin. 20, 55.

Serenus consulto, ni fallor, in v. 761 Medicinae Pl. verba ,cum oleo' neglexit et, nescio cur, betas terendas esse dixit, etiamsi auctor Medicinae Pl. ova trita commendavisset. Deinde Sereni vocem ,superinlita' magis ad Plini verbum ,superinligatis' quam ad Medicinae Pl. ,imponuntur' quadrare ratus tamen habeo persuasum v. 761 ex eodem capite Medicinae Pl. sumptum esse, unde ceteri, quos laudavimus, loci originem traxerunt.

C. XLI.

M. Pl. 68, 10: farina frumenti cocta ex aceto imponatur.
Ser. v. 781: Triticeaeque acido manantur amne farinae.
cf. Plin. 24, 188.
M. Pl. 68, 12: utiliter dolor perunguetur oleo, in quo decocta sint ranarum intestina.
Ser. v. 782: Aut nitido ranae decoctum viscus olivo.
cf. Plin. 32, 110.

C. XLII.

M. Pl. 73, 1: Fimus caballinus cum ovorum putaminibus crematur isque cinis spathomela mixtus imponitur plagae. ⟨mire sistit⟩ . . . . .
Ser. v. 804: Sive fimus manni cum testis uritur ovi
Et reprimit fluidos miro medicamine cursus.
cf. Plin. 30, 112.

Differentia, quae exstat inter caballum et mannum, non tanta est, ut cogamur illos versus auctori Medicinae Pl. abiudicare.

C. XLV.

M. P. 110, 9: raphanus sativa ex aqua (**g. d. r. b.** pusca Plin.) coquitur et trita plagae imponitur.
Ser. v. 832: Aut coctum raphani librum tritumque ligare.
cf. Plin, 20, 23.

M. Pl. 110, 6: habentem secum cor vulturis nec serpentes nec ferae appetunt.

Ser. v. 846: Dicendum et quae sit praecox medicina timenti.
Cautio namque potest diros praevertere morsus:
Si iecur exsectum tardo de vulture portes.

cf. Plin. 29, 77.

M. Pl. 110, 5: erucis ex aceto tritis perunctos non mordent.

Ser. v. 849: Erucis aut si totos perduxeris artus,
Quas prius adtritas vehementi adspargis aceto.

cf. Plin. 20, 125.

M. Pl. 107, 24: sanguis caninus hauritus adversus toxica.

Ser. v. 854: . . . . sanguis poterit prodesse caninus,
Qui facili potu antidotos imitatur honestas.

cf. Plin. 29, 58.

M. Pl. 109, 21: Serpentes praecipitem morsum inferunt. quos sanare in promptu est, cum etiam ipsas fugare sit facillimum vulturinarum pinnarum suffitu.

Ser. v. 858: . . . . . . aut diri vulturis alam.

cf. Plin. 29, 77.

Et Serenus (v. 832) et auctor Medicinae Pl. dicit raphanum esse terendam, priusquam vulneri imponatur; Plinius autem hac de re tacet. Inde apparet Medicinam Pl. esse fontem Sereni et repudiandam coniecturam Rosei. Serenus enim, cum vocem ‚coctam' scriberet, ‚ex aqua' legit. Facillime hoc verbum praetermitti ideoque subaudiri potest. Nulla igitur est causa, cur auctoritas et consensus Medicinae Pl. codicum neglegatur.

Porro auctor Medicinae Pl. post illam compositionem, quam in v. 849 recognoveramus, negat eum, qui secum cor vulturis haberet, serpentes appetere. Quibus e verbis v. 846 sqq. originem habere mihi persuasum est. Vox quidem Sereni ‚iecor' iure suspecta est; neque enim usquam iecur vulturis adversus serpentes adhibendum esse praescribitur. Facile vero genuinam lectionem restituimus, si pro ‚si iecur' legimus ‚Sive cor'. Cor enim vulturis

prodesse Plinius et auctor Medicinae Pl. tradunt. cf. cod. classis B., qui ,iecor' habent.

C. XLVI.

M. Pl. 109, 13: adversus haec omnia vinum merum bibitur.

Ser. v. 870: Sive meri potu dissolvitur improba pestis.

cf. Plin. 23, 43.

M. Pl. 109, 6: terra quam in orbita rota depressit plagae imponitur.

Ser. v. 879: Sin autem muris nocuit violentia caeci,
Quae sola signavit volvendis orbita plaustris,
Inline: mira datur vili de pulvere cura.

cf. Plin. 29, 89; 30, 20.

C. XLVII.

M. Pl. 36, 7: vellera sulphure vivo suffita (**d**, subfita **g**, suffusa **b**) efficaciter excalefaciunt.

Ser. v. 884: Velleraque infuso recalentia sulphure sanant.

cf. Plin. 29, 38.

Iam supra exposuimus nullius esse momenti, quod Serenus ,sulphur' omissa voce ,vivum' praebeat. cf. v. 456. Sane quidem ob vocem Sereni ,infuso' lectionem codicis b Medicinae Pl. praeferemus.

C. XLVIII.

M. Pl. 89, 9: semen aneti (cod. anesi Roseus) tribus digitis comprehensum et feniculi tantundem ex aceti mulsi potui datur cyatho uno.

Ser. v. 904: Sume tribus digitis adprensum semen aneti (cod; anesi Baehr.)
Tantundem marathri nec mulsum desit aceti,
In cuius cyatho praedicta salubriter hauris.

cf. Plin. 20, 194.

M. Pl. 88, 18: leporis cor adalligatur coagulumque eius bibitur . . . . .

Ser. v. 908: Aut leporis trepidi diluta coagula trade.

cf. Plin. 28, 229.

M. Pl. 89, 1: ranae in trivio decoquuntur cum oleo, carnes earum proiectae: eo oleo utuntur ad unctionem.

Ser. v. 912: Sed prius est oleo parvas fervescere ranas
In triviis illoque artus perducere suco.

cf. Plin. 32, 113.

Voces ‚anesum' et ‚anetum' saepissime confusae sunt atque librarii medii aevi pro ‚aneso' ubique ‚anetum' scripserunt[1], cum plantam illam officinalem plane ignorarent. Itaque id, quod contigit scribarum vitio, minime auctoribus ipsis tribuendum est neque concludendum poëtam re vera in Medicina Pl. legisse ‚aneti'.

C. XLIX.

M. Pl. 90, 2: puleii ramus in lana involutus ante accessionem olfaciundus datur aut stratis subditur.

Ser. v. 919: Pulej ramus lanae velatus amictu
Tempore suspecto medicos praebebit odores.

cf. Plin. 20, 155.

C. LII.

M. Pl. 99, 11: Caninum cerebrum linteolo inlitum imponitur superpositis lanis quae subinde subfundantur fere XIV diebus solidat . . . . .

Ser. v. 949: Conveniet cerebrum blandi canis addere fractis
Lintea deinde superque indutas nectere lanas,
Saepius et sucos conspargere pinguis olivi:
Bis septem credunt coalescere cuncta diebus.

cf. Plin. 30, 119.

M. Pl. 99, 19: . . . . . . costis fractis imponitur caprinus fimus ex vetere vino: aperit, extrahit, sanat.

Ser. v. 954: Aut veteri Baccho caprae fimus inde petulcae:
Hoc reserat clausum, trahit haerens, sanat opertum.

cf. Plin. 28, 277.

M. Pl. 72, 9: articulis vexatis praesentaneum est sevum pecudis cum cinere mulieris capillorum.

[1] cf. Rose, Herm. l. l. p. 37, 2.

Ser. v. 959: Quod si luxa suo decedunt membra tenore,
Urere femineos crines ac iungere sevum
Congruit ac tali medicamine mota ligare.

cf. Plin. 30, 79.

Auctor Medicinae Pl. 99, 11 accuratius quam Plinius praescribit canis cerebrum esse imponendum, cui bene respondet Sereni ‚addere fractis'.

C. LV.

M. Pl. 91, 17: capri cornus usti nidor dormire eum non patitur.

Ser. v. 997: Ergo levi flamma torrentes cornua caprae
Quo nidore gravem dispellunt lumina somnum.

cf. Plin. 28, 230.

M. Pl. 91, 9: ruta ex aceto datur olfacienda.

Ser. v. 1002: Gramina vel rutae, gemina si nare trahantur.

cf. Plin. 20, 138.

M. Pl. 91, 6: Cimices septem triti in aquae cyatho uno dantur si vir est, si puer sit in eodem modo aquae cimices quattuor.

Ser. v. 1003: Quidam dira iubent, septeno cimice trito
Ut vitientur aquae cyathusque bibatur earum:
Haec potiora putant quam dulci morte perire.

cf. Plin. 29, 63.

Serenum Medicinae Pl. cap. 18 libri 3 usum esse vel antea probavi, cum de v. 1001 scriberem. (p. 8).

C. LVI.

M. Pl. 93, 11: hirundinis sanguis cum ture vel eiusdem cor recens devoratur.

Ser. v. 1014: Seu cruor ex Progne mixtus cum polline turis.

cf. Plin. 30, 91.

M. Pl. 93, 12: lapillus de nido hirundinis adalligatus ad collum iacentem recreat et ab hoc periculo tutum praestat.

Ser. v. 1021: Aut lapis ex nido, vaga quem congessit hirundo,
Vellitur et nexu fovet attollitque iacentem.

cf. Plin. 30, 91.

C. LVII.

M. Pl. 97, 9: rubia qua pelles inficiuntur in aqua mulsa bibitur.

Ser. v. 1026: Huic rubia ex mulsa fertur conducere lympha.

cf. Plin. 24, 94.

M. Pl. 97, 2: alium tritum in potione vini propinatur.

Ser. v. 1027: Alia trita dabis vino madefacta calenti.

cf. Plin. 20, 52.

Attributum illud ‚calenti' (v. 1027) Serenus e suo ipsius ingenio addidisse videtur.

C. LVIII.

M. Pl. 28, 16: Dentes equi qui primi cadunt alligati facilem dentionem praestant, melius si terram non tangant.

Ser. v. 1031: Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo crescente caduci.

cf. Plin. 28, 258.

M. Pl. 28, 18: lacte caprino aut leporino cerebello gingivae perfricantur.

Ser. v. 1033: Aut teneras cerebro gingivas inline . . . . .
Aut leporis; niveove hirtarum lacte caprarum.

C. LIX.

M. Pl. 84, 4: hordeum tostum tritum ex albis ovorum addito adipe suillo mirifice prodest.

Ser. v. 1047: Hordea vel franges atque ovi candida iunges.
Adsit adeps porcae: mira est haec forma medellae.

cf. Plin. 29, 40.

C. LX.

M. Pl. 107, 9: Electrum est aurum in quo quinta pars argenti invenitur ex quo si quis vaso potatorio

utatur insidias veneni vitabit. discurrunt enim in eo arcus caelestibus similes cum igneo stridore eoque modo duplici ratione deprehenditur scelus.
cf. Plin. 33, 81.

V. 1062 eqs. e Medicina Pl. sumptos esse supra exposuimus.

C. LXII.

M. Pl. 73, 14: Vulnera recentia vermes terreni triti conglutinant adeo ut etiam nervos incisos solident die septimo.
Ser. v. 1087: Lumbrici terrae poterunt conducere vulnus.
cf. Plin. 30, 115.

C. LXIII.

M. Pl. 101, 10: Verrucae abolentur . . . . sanguine lacertae.
Ser. v. 1095: Id poterit vitium sanguis curare lacertae;
cf. Plin. 30, 81.
M. Pl. 101, 6: Verrucae abolentur urina recenti canis cum suo luto inlita.
Ser. v. 1096: Aut urina canis cum terra inducta madenti.
cf. Plin. 30, 81.

Quomodo Sereni verba interpretanda sint, e Medicina Pl. (et Plin.) cognosci potest.

II.

Nunc eos, qui secuntur, locos comparemus et videamus, an hi quoque loci e Medicina Pl. sumpti sint.

Plin. hist. nat. l. 20 § 244: (sc. de foliis mentastri) iis commanducatis et inpositis sanari elephantiasim Magni Pompei aetate . . . . . facie inlita conpertum est.	M. Pl. p. 34, 13: mentastri folia commanducata adhibentur.

Ser. v. 134: Mentastri folium potu adposituque salubre est.

Plin. 28, 182: efficax habetur et caprino lacte conlui dentes vel felle taurino.	M. Pl. 28, 10: caprino lacte utiliter dentes conluuntur.

Ser. v. 229: . . . . vel lacte capellae
sanescunt dentes aut tauri felle iuvantur.

Plin. 30, 112: Sanguinem sistit . . . e naribus fluentem cocleae contritae fronti inlitae . . . . , gallinacei cerebellum vel sanguis profluvia ex cerebro, item columbinus ob id servatus concretusque.	M. Pl. 23, 16: prosunt cocleae contritae et fronti inlitae.

Ser. v. 632: Contritis prodest cocleis perducere frontem
Aut galli cerebro vel sanguine tingue columbae.

Plin. 24, 15: Cupressi folia trita serpentium ictibus imponuntur et capiti . . . item ramici, qua de causa et bibuntur.

M. Pl. 63, 22: cupressi folia cum polenta trita ramici prosunt.

Ser. v. 684: Far madidum lymphis ferali ec fronde cupressi
Unde etiam potu frons haec memoratur amica.

Examinemus locos! Plinius et Serenus remedium, de quo in v. 134 et 683 agitur, prodesse tradunt potatum et impositum; sed auctor M. Plinianae solum hunc usum propinat.

Similiter res sese habet in v. v. 229 et 632. Plinius, quocum Serenus consentit, duo vel tria medicamina ad morbum depellendum commendat; in Medicina Pl. autem ad eundem finem non complures compositiones exstant, sed una.

Porro hosce locos!

Plin. 20, 138: sucus et phreneticis ex aceto tritae instillatur in tempora et cerebrum.

Med. Pl. 92, 1: sucus rutae tritae ex aceto instillatur in tempora.

Ser. v. 99: Aut mixtum rutae cerebro stillatur acetum.

Plin. 20, 260: (sc. ferulae) radix denari pondere in vini cyathis duobus bibitur adversus serpentes et ipsa radix imponitur.

Med. Pl. 110, 12: radix ferulae ex vino medetur imposita.

Ser. v. 840: Aut ferulae radix potatur in imbre Lyaei.

Plinius acetum esse utile temporibus et cerebro dicit; contra Serenus cerebro, auctor Medicinae Pl. temporibus idem instillari iubet. Atque secundum Plinium ferulae radix bibitur vel imponitur; quam esse bibendam in carmine Sereni, imponendam esse legimus in Medicina Pl.

Primo obtutu Serenus Plinii historia naturali usus esse videtur. En vides poëtam in v. 845 (et fortasse v. 53) Plinium citantem auctorem. At primum quidem

neget aliquis hoc idoneum esse argumentum. Satis enim constat compilatores cuiusvis generis se usos esse auctoribus saepissime simulare, quos nunquam viderint. Atque fieri potuit, ut Serenus nomen Plini Medicinae Pl. auctori daret, quem et libri Medicinae manuscripti et Marcellus Empiricus hoc nomine re vera ipsum se ornasse confirmant[1]. Deinde si rem ipsam spectamus, minime verisimile est eundem auctorem praeter Medicinam Plinianam, id est compilationem e Plinii historia nat. factam, Plinium ipsum inspexisse. Denique memoria tenendum est libros, qui sunt de rebus medicis, simili modo ac scholia multo magis quam alia litterarum genera tum tenuiores tum esse copiosiores factos. Huic homini scilicet non sufficiebat numerus earum quas repperit compositionum, itaque eas augebat, ille autem offendebat in copia remediorum, ergo pauca eligebat[2]. Ipsa Medicina Pl. optimum praebet huius rei exemplum, quam iis, quae secuntur, saeculis quasi fundamentum novarum collectionum medicinalium fuisse ex commentatione Rosei certo scimus[3]. Praeterea textus veterum rei medicae librorum valde corrupti atque suspecti sunt; itemque Medicinae Plinianae praecepta haud quaquam integra nec sine perturbatione exstant[4].

Quae cum ita sint, nil obstat, quominus coniciamus eos, quos supra contulimus, locos Medicinae Pl. velut decurtatos esse et corrigendos e verbis Plini vel Sereni. Hic in Medicinae Pl. p. 34, 13; 28, 10; 23, 16; 63, 22; 92, 1; 110, 12 praecepta eisdem verbis, quae nunc locis laudatis Plini exstant, definita legit. Verbosior igitur et copiosior editio Medicinae Pl., quasi ‚editio maior', olim exstiterit necesse est, quae post Sereni aetatem in eam, quae nobis in cod. g d r b traditur, formam coacta est.

[1] V. Rose, in Hermae vol. VIII, p. 21.

[2] Bonum exemplum Med. Pl. p. 18, 14 (Plin. 29, 135; Ser vv. 169—173) cf. Usener, Epicurea, praefat XXIII.

[3] cf. Rose, l. l. p. 35.

[4] cf. Rose, l. l. p. 24.

Sed quaeramus, ceterisne locis id, quod posuimus, confirmetur.

Plin. 29, 135: constat deplorata aurium vitia eo remedio sanari aut si terreni vermes cum adipe anseris decocti infundantur, item ex arboribus rubri cum oleo triti exulceratis et ruptis auribus praeclare medentur.

Med. Pl. 18, 14: valde laudantur et terreni vermes cum anseris adipe cocti et instillati.

Ser. v. 169: Annosa rubros si legeris arbore vermes
Ex oleo tere: sic tepidos infunde dolenti.
Si vero obstrusa sensus morietur in aure,
Lumbricos terrae sevumque ex ansere rauco
Excoque: vel veterem poteris dissolvere morbum.

Serenus in editione maiore Medicinae Plinianae eadem legit, quae apud Plinium l. l. exstant. Nam commotus voce ‚item' in compositionem recepit verba ‚decocti infundantur' (= tepidos infunde), quae in fine prioris partis illius enuntiati erant.

Plin. 30, 44: (de cocleis) in aqua eas subfervefieri intacto corpore earum oportet, mox in pruna torreri nihilo addito atque ita e vino garoque sumi praecipue Africanas; . . . . (45) contra marinae stomacho utiliores, efficacissime tamen in dolore stomachi.

Med. Pl. 41, 22: stomacho medentur cocleae si fieri potest Africanae in cibo sumptae: coquuntur intactae ex aqua, deinde ex prunis torrentur, tunc ex vino et garo eduntur, impari numero stomachi dolori medentur.

Ser. v. 315: Seu cocleas undis calefactas ac prope victas
Suppositis torre prunis vinoque garoque
Perfusas carpes: prodest magis esse marinas.

Plin. 24, 15: Eadem (sc. cupressi folia) trita cum duabus partibus panis mollis e vino Ammineo subacta pedum ac nervorum dolores sedant.	Med. Plin. 74, 7: et cupressi folia trita ad eundem effectum imponuntur.

Ser. v. 975: Aut Baccho madefacta Ceres cum fronde cupressi,
Quo poteris fotu recreare rigentia membra.

Primum haeremus in v. 315, praesertim cum ceteri loci capitis XVII neque ad Plinium neque ad Medicinam Pl. pertineant. Ea quidem, quae est summi momenti, pars remedii (‚prodest magis esse marinas‘) in Medicina Pl. deest. Iam vero p. 74, 7 ‚panis mollis e vino Ammineo‘ — id, quod ad medicamen componendum perquam necessarium est, desideratur. Sedulo autem auctorem ea, quae utiliora a Plinio plane dicta erant p. 44, 32 sq., vel summas partes compositionis p. 74, 7 sq. neglexisse negaverim. At vel casu vel stultitia compilatoris, qui editionem minorem faciebat, fieri potuit, ut talia verba omitterentur.

Plin. 30, 118: . . . et elephantiasin sanguis et cinis mustelae.	Med. Pl. 34, 10: is qui hoc malo afficiuntur cinis mustelae et eiusdem sanguis mixtus inlinitur.

Ser. v. 132: Mustelaeque cinis vel[1] fusus sanguis ab illa.

E Plinio hoc remedium editionis maioris Medicinae Pl. sine dubio verbotenus exscripsit. Ab qua editione versus Sereni pendent. Verbum autem ‚mixtus‘ in textum Medicinae Pl. irrepsit seriore tempore quam quo Serenus eam excerpserat.

Plin. 29, 69: Viperae caput impositum vel alterius quam quae percusserit, sine fine prodest	M. Pl. 111, 5: viperae morsui viperae cuiuslibet tritum et appositum caput efficacissime prodest.

[1] vel = und, auch cf. Verg.

Ser. v. 828: Qui nocuit serpens fertur caput illius apte
Vulneribus iungi: sanat quae sauciat ipsa
Ut Larissaea curatur Telephus hasta.

Apparet Serenum talem textum ante oculos habuisse, qualem Plinius praebet. In editione igitur maiore Medicinae Pl. eadem verba ac Plinii loco laudato videntur exstitisse. Auctor autem editionis minoris verba ‚viperae caput impositum vel alterius, quam quae percusserit', contraxit in ‚viperae cuiuslibet tritum et appositum caput'.

Plin. 29, 65: cunctarer in proferendo ex his remedio, ni M. Varro LXXXIII. vitae anno prodidisset aspidum ictus efficacissime sanari hausta a percussis ipsorum urina.

23, 56: nesciere medici quantum (sc. acetum) contra aspidas polleret. Nuper ab aspide calcata percussus utrem aceti ferens quotiens deposuisset sentiebat ictum alias inlaeso similis. Intellectum ibi remedium est potuque succursum.

M. Pl. 112, 9: adversus aspidis morsum unum refugium habebant priores ut percussus urinam suam biberet. intra paucos annos casu inventum est et alterum remedium. namque is qui utrem plenum aceti ferebat percussus ab aspide dolorem non sensit, donec fatigatus requiescendi gratia utrem deposuit. quo facto perniciem sentire coepit rursusque imposito sibi utre desiit. Intellectum est quod si acetum bibisset posset sanari. Ex quo experimento factum est palam hanc potionem esse efficacissimam.

Ser. v. 842: Si vero horrendum vulnus fera iecerit aspis
Urinam credunt propriam conducere potu;
Varronis fuit ista senis sententia; nec non
Plinius ut memorat, sumpti iuvat imber aceti.

Serenus laudat Plinium auctorem. Hoc quidem esse nullius momenti supra exposuimus. Sed Varro quoque atque — hoc multum valet — eius aetas commemoratur.[1]

[1] Bene respondet vox Sammonicea ‚senis' ad illa ‚LXXXIII vitae anno'.

Ei vero, qui excerpunt, auctores citare non solent; sed exstat locus, quo auctorem Medicinae Pl. aliter fecisse probetur. Citat enim p. 3, 3 Damum medicum. Itaque non est, quod in hac re haereamus.

Plin. 20, 103: (sc. bulbi) vulneribus quoque prosunt per se aut ut Damion ex mulso, si quinto die solvantur.	Med. Pl. 74, 1: efficaces sunt et bulbi triti per se ad vulnera glutinanda: adiciebat tamen illis Damon medicus muscum qui in aqua gignitur et die quinto solvebat.

Ser. v. 812: Contritus cum melle dabit medicamina bulbus.

Plin. 28, 56: mero ante somnos colluere ora propter halitus, frigidâ matutinis inpari numero ad cavendos dentium dolores . . .	Med. Pl. 24, 19: Nero ante somnos colluere ora propter halitus frigidâ utile dicit.

Ser. v. 245: Saepe etiam gelida gingivas collue lympha
Dentibus ut firmum possis servare vigorem.

Plin. 32, 110: ‚Podagris articulariisque morbis utile est oleum in quo decocta sint ranarum intestina . .‘	Med. Pl. 68, 11: utiliter dolor perunguetur ⟨oleo⟩ in quo decocta sint ranarum intestina.

Ser. v. 782: Aut nitido ranae decoctum viscus olivo.

Quos locos si comparamus, extemplo animadvertimus verba Medicinae Plin. e Plinii historia naturali manasse. verborum quidem compositio Plinii propria, ut saepissime, ab eo, qui archetypum codicum Medicinae g d r b scripsit, dissoluta est[1]. E ‚Damione‘ fecit ‚Damonem‘ (quae forma nominis postuletur, dubium esse nequit. cf. Plin. 1, 20, sq.) et pro ‚mulso‘ scripsit ‚musco‘. Verba autem ‚qui in aqua gignitur‘ esse interpolata, aliis locis demonstratur. ex. gr. p. 68, 9; etc. Deinde eius errore factum est, ut

[1] V. Rose, l. l., p. 28.

corruptela ‚Nero' et falsa distinctio verborum orerentur[1]. Denique idem auctor (p. 68, 12 ed. Rose) vocem ⟨oleo⟩ omisit. Patet autem Serenum, quippe qui genuinam formulam remediorum servaverit textu Medicinae Pl. in cod. g d r b tradito non potuisse uti. Reducimur igitur ad editionem maiorem, quam corruptelas supra commemoratas continuisse negamus.

Iam necesse est in memoriam revocemus[2] Medicinae Pl. (p. 107, 8 ed. Rose) codices g d ‚in unum' rb ‚in vinum' habere. Libri autem r b pendent ab codice magni aestimando[3] neque ad textum restituendum neglegendo[4]. Duae igitur familiae exstant, quarum alterius codices sunt g d, alterius codices repraesentantur editionibus principibus r b.

Serenus, ut hoc repetam, legit[5] ‚in vinum' (= rb). Sedtamen si archetypo (r b) usus esset, eius errores supra collatos certe transscripsisset. Itaque negamus inter lectionem (r b) ‚in vinum' et versum Sammoniceum 1067 esse conexum et conicimus eandem corruptelam bis factam esse, semel in exemplari Sammoniceo Medicinae Plinianae, iterum in archetypo (r b). Voces vero VNVM et VINVM tam similes sunt, ut facile confundi possint.

Editio maior Medicinae Plinianae recurrit ad historiam naturalem Plinii et ad alium vel alios libros et plura habuit remedia quam editio minor. Quae cum ita sint, summo iure conicimus omnes quoque compositiones carminis Sammonicei, quae cum Plinianis congruunt neque in editione minore Medicinae Pl. inveniuntur, illi editioni

[1] cf. appar. crit. Med. Pl. ed. Rose; Hermae VIII., 29.

[2] cf. p. 8 ff.

[3] cf. Hermae VIII., 55.

[4] Quod confirmare possunt ex. gr.:
p. 15, 1: viperarum r b (= Ser. v. 108), vulpinarum g d b m;
p. 30, 7: Gryllum Pl. (= Ser. v. 287), fimum ovillum g b.
p. 73, 3: mire sistit r b (= Ser. v. 804), omis. g d.

[5] V. 1067.

deberi, quam Serenus excerpsit. Ex hac igitur et alia et ea remedia originem ducunt, quae a Sereno mammis sanandis et conceptioni et partui praecipiuntur. Quae remedia cur ab auctore editionis minoris omissa sint, facile intelligitur. Hic enim id, quod voluit, cum libros compilaret, in prooemio plane exposuit: eos, qui in peregrinationibus versarentur, ab insidiis medicorum se tueri velle. Qua cum ratione bene consentit, quod eos casus, qui generi femineo accidunt, neglexit. At auctor maioris editionis morbis cuiusvis generis prohibendis praecepta contulit. Revocamus autem in memoriam legentibus editionem minorem sub nomine Plinii proditam esse. Quem cum Serenus citet, necesse est conicere, maiorem quoque editionem Plinio suppositam fuisse.

Si haec recte disputavimus patet editionem maiorem Medicinae Plinianae conscriptam esse ante tempora Sereni; minorem quam nos legimus Roseus quarto saeculo p. Chr. tribuit.

III.

Quoniam probavimus Sereni carmen re vera non ab historia naturali Plinii, sed ab auctore Medicinae Plinianae pendere, nunc ceteros locos conferamus, quos Serenus, cum a nostris Medicinae exemplaribus absint, in editione maiore Medicinae Pl. legisse videtur.

C. I.

Plin. 24, 181: quod e graminum genere septem internodia habet efficacissime capiti contra dolores adalligatur.

Ser. v. 13: vel quae septenis censentur gramina nodis
Utiliter nectes . . . . .

Plin. 29, 112: Capitis doloribus remedio sunt coclearum . . . . . quae adalligantur et minutae fronti, inlinuntur tritae . . . .

Ser. v. 21: profuit et cocleis frontem tractare minutis.

C. III.

Plin. 20, 224: . . (malvae sc.) radix decocta furfures capitis . . . .

Ser. v. 34: Hanc poterit malvae radix decocta levare.
cf. Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. II, 144.

Plin. 32, 35: (testudinis sc.) sanguine alopeciarum inanitas et porrigo omniaque capitis ulcera curantur.

Ser. v. 39: Prodest et tarda demptus testudine sanguis.

C. IV.

Plin. 24, 42: (lentisci sc.) folia . . . capillum tinguit.
24, 52: acini eius (sc. sabuci) infirmiores quam reliqua tingunt capillum, . . .

Ser. v. 47: His prodest . . . . .
Vel frons lentisci vel tristia poma sabuci.

Plin. 28, 191: prodest et sapo, Gallorum hoc inventum rutilandis capillis. fit ex sebo et cinere . . . . . .

Ser. v. 52: Ad rutilam speciem nigros flavescere crines
Unguento cineris praedixit Tullius (cod; Plinius vulgo) auctor.

Plin. 30, 134: Supercilia denigrari muscis tritis tradunt, si vero oculi nigri nascentium placeant, soricem praegnanti edendum.

Ser. v. 55: Si praegnans artus captivi soricis edit
Dicuntur fetus nigrantia lumina fingi.

Assentior Baehrensio, qui in v. 53 lectionem vulgatam verbo codicum praefert. Nam Sereni verba plane respondere Plini loco laudato nemo negabit. Tamen nescio, quid commentatores Keuchenus et Ackermannus velint. Hi enim alium locum Plinianum afferunt, scilicet 23. 67: ‚(de faece aceti) et haec cremata ampliat viris. Tunc addito lentiscino oleo inlita una nocte rufat capillum'. Sed ‚faex aceti cremata addito oleo lentiscino' minime idem est atque ‚unguentum cineris'. Hoc vero nil aliud est quam sapo, quem fieri e sebo et cinere Plinius (l. l.) tradit.

C. V.

Plin. 24, 79: lacrima hederae psilotrum est phthiriasimque tollit.

Ser. v. 67: Aut lacrimis ederae . . . . .

C. VI.

Plin. 23, 55: (sc. acetum) medetur . . . contraque omnium aculeatorum venena et pruritus . . .

Ser. v. 84: Pruritus autem salsos levat umor aceti.
cf. Diosc. *π. ὕλ. ἰατρ.* V. 21.

Plin. 31, 63: Medendi modus idem et in marinis erit; . . . aquam vero maris per sese efficaciorem discutiendis tumoribus putant medici . . . .

Ser. v. 85: Sive maris rabidi sudor . . . . .
cf. Diosc. *π. ὕλ. ἰατρ.* V. 19.

C. VII.

Plin. 24, 51: (sc. sabuci) sucus cerebri collectiones privatimque membranae quae circa cerebrum est lenit infusus.

Ser. v. 97: (. . cerebrum . .)
ungitur et sucis, dederit quos parva sabucus;

Plin. 24, 77: sucus hederae . . . idem infusus naribus caput purgat . . .

Ser. v. 98: Expressusque hederae mandatur naribus umor.

C. VIII.

Plin. 32, 35: sanguine (sc. testudinum) alopeciarum inanitas et porrigo omniaque capitis ulcera curantur.

Ser. v. 110: Vel testudineo mala permulceto cruore.

C. XI.

Plin. 20, 125: Erucae semen . . . arcet vitia cutis . . . . lentigines ex aceto.

Ser. v. 144: Erucam atque acidum laticem simul inline malis.

Plin. 24, 58: (sc. salicis) flos tritus cum foliis furfures purgat in facie.

Ser. v. 148: Frons salicis cum flore suo contrita medetur.

Plin. 32, 85: medetur et lentigini ceterisque vitiis ex ossibus saepiarum cinis.
Ser. v. 149: Saepiolae cineres ex ossibus omnia levant.
cf. Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. II, 23.

Plin. 24, 43: mastiche lentisci replicandis palpebris et ad extendendam cutem in facie . . .
Ser. v. 154: Rugarum sulcos lentisci mastice tendes.

Plin. 28, 37: credamus ergo et lichenas leprasque ieiunae inlitu adsiduo arceri, item lippitudines matutina cottidie velut inunctione.
Ser. v. 155: Si vero vitium est quod duci ab impete nomen
Hoc matutina poteris cohibere saliva . . . . .

C. XII.

Plin. 24, 47: (sc. populi albae) . . . foliorum sucus calidus aurium dolores.
Ser. v. 164: Aut sucum ex folio dederit quem populus alba.
cf. Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. I, 109.

C. XIII.

Plin. 28, 171: fel quidem caprinum pluribus modis adsumunt, cum melle contra caligines . . . .
Ser. v. 199: Hyblaei mellis sucus cum felle caprino
Subveniunt oculis dira caligine pressis.

Plin. 29, 123: . . . item in gallinacei felle ad argema et albugines ex aqua diluto.
Ser. v. 207: Fel quoque de gallo mollitum simplice lympha
Exacuit puros dempta caligine visus.

Plin. 29, 125: laudatur et . . . fimum quoque columbarum ex aceto ad aegilopia, similiter ad albugines, ... fel perdicum cum mellis aequo pondere, per se vero ad claritatem.
Ser. v. 209: Sive columbarum fimus admiscetur aceto
Seu fel perdicis parili cum pondere mellis.

Plin. 29. 122: Anguium adeps aerugini mixtus ruptas oculorum partis sanat . . . .
Ser. v. 218: Anguibus ereptos adipes aerugine misce,
Hi poterunt ruptas oculorum iungere partes.

C. XIV.

Plin. 31, 117: (sc. nitrum) prodest dentium dolori ex vino, si cum pipere colluantur . . . .
Ser. v. 228: Cum vino piper et nitro tepidum inde dolenti.

Plin. 32, 82: . . . . muricum cinis dentifricium est.
Ser. v. 237: Muricis aut tosti . . . . extincta favilla.

C. XVII.

Plin. 20, 153: (sc. puleium) ventris dolorem, stomachi autem ex aqua.
Ser. v. 313: Puleium quoque decoctum curabit amice.

Plini verba dedimus, ut exstant in editione Detlefseni, cuius distinctio enuntiati nobis placet. Dioscorides quidem, qui eodem auctore ac quo Plinius usus est: *π. ὑλ. ἰατρ.* III, 30: (sc. *γλήχων) ναυτίας τε καὶ δηγμοὺς στομάχου μετὰ ὀξυκράτου ποθεῖσα παραμυθεῖται.* quibuscum verbis Sillîgii lectio consentit.

C. XVIII.

Plin. 24, 52: (sc. sabuci) foliorum mollissima ex oleo et sale eduntur ad pituitam bilemque detrahendam.
Ser. v. 333: Praeterea caules si frondet passa sabuci
Decoctos sale permisces ac iungis olivo:
Tum capis ac tali purgas medicamine fella.

Plin. 28, 138: (sc. sevum suillum) vetus etiam phthisis pilulis sumpta sanat quae sine sale inveterata est . . . . . circumligatur et lateribus pectoris et scapulis eorum qui phthisim sentiunt.
Ser. v. 343: Proderit et veteris sevi pila sumpta suilli
Quo scapulas quoque perducit medicina salubri[1].

[1] sic lego.

C. XIX.

Plin. 23, 67: Mammas lactis sui impatientes eadem (sc. faex aceti) exstinguit.

Ser. v. 345: Ubera fecundo valde lactentia suco
Saepe sibi noxae nimium manando fuerunt:
Faece igitur valida saevi reprimentur aceti.

cf. Diosc. *π. ὕλ. ἰατρ.* V, 131.

Plin. 30, 123: fimum murinum aqua pluvia dilutum mammas mulierum a partu tumentes reficit.

Ser. v. 348: Post partum tumidas iniuste adsurgere mammas
Interdum adspicies: harum mala commemoratur
Murinum fimus ex pluvio sedare liquore.

Plin. 30. 125: (sc. vermes terreni) idem per se impositi mammarum suppurationes concocunt et aperiunt extrahuntque . . . .

Ser. v. 352: Sin autem clausas penitus dolor angit acerbus
Lumbricis terrae turgentes ungue corymbos.

Plin. 30, 131: (sc. mammas) putant et ter circumdatos ovo perdicis . . . non inclinari et si sorbeantur eadem fecunditatem facere, lactis quoque copiam cum anserino adipe perunctis mammis dolores minuere . . .

Ser. v. 356: Anseris aut sevum pariter cum lacte tepenti
Aut ovum inlinito, tulerit quod garrula perdix.

C. XX.

Plin. 20, 148: . . . . item sanguinem excreantibus in sorbitionem.

Ser. v. 370: Sin etiam rutilus refertur pectore sanguis
Sorbitio mentae . . . . .

Plin. 24, 13: Suberis cortex tritus ex aqua calida potus sanguinem fluentem ex utralibet parte sistit. ieus-

dem cinis ex vino calido sanguinem excreantibus magnopere laudatur.

Ser. v. 374: Uritur interdum raptus de subere cortex
Et cinis ex calido prodest epota Lyaeo.

C. XXI.

Plin. 24, 46: Semen foliis eius (sc. fraxini) inest, quae medentur iocineris, laterum doloribus in vino aquam quae subit cutem extrahunt.

Ser. v. 382: Sumitur aut semen, quod fraxinus alta profudit.

Plin. 24, 46: Aceris radix contunsa e vino iocineris doloribus efficacissime inponitur.

Ser. v. 390: . . . . . aut aceris radicem tundis et una
Cum vino capis: hoc praesens medicamen habetur.

C. XXIV.

Plin. 23, 144: (sc. nuces) item iocineris et renium dolores ex aqua potae . . . .

Ser. v. 459: Fertur amygdalinae sucus nucis esse bibendus:
Pinsitur haec tepidoque absorbitur indita fonti.

Plin. 30, 53: Lateris doloribus . . . lumborum dolori . . . cocleae tres contritae cum testis suis atque in vino decoctae cum piperis granis XV.

Ser. v. 461: Aut tres ex vino cocleas fervescere coges
Cumque suis domibus franges; piperis quoque grana
Ter quina adicies potuque iuvaberis illo.

C. XXV.

Plin. 24, 68: Gravis autem auctor in medicina virgam ex ea defractam, ut neque terram neque ferrum attingeret, sedare ventris dolores adseveravit inpositam ita ut tunica cinctuque corpori adprimeretur.

Ser. v. 480: Nec non iungenda est utero nova virga myricae
Inlaesa haec ferro terraque intacta geratur.

Quomodo vox Sammonicea ,nova' interpretanda sit, ex eo, qui sequitur, versu apparet.

Plin. 20, 151: aiunt et lini mederi eam in horto gustatam ita ne vellatur, si is qui mordeat dicat se lieni mederi per dies IX, aridae quoque farinam tribus digitis adprehensam et stomachi dolores sedare in aqua . . . .

Ser. v. 487: Menta quoque hoc pacto[1] medicos dabit hausta sapores.

cf. Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. III, 36.

C. XXVI.

Plin. 24, 46: (sc. fraxini) semen foliis eius inest, quae medentur iocineris, laterum doloribus, in vino aquam quae subit cutem extrahunt.

Ser. v. 500: Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est. (cf. v. 382.)

Plin. 31, 72: podagris . . prodest . . . nec non harena litorum maris praecipue tenius et sole candens in medicina corporibus coopertis hydropicorum aut rheumatismos sentientium.

Ser. v. 503: Nec non et tepidis convolves corpus harenis.

cf. Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. V, 166.

C. XXVII.

Plin. 24, 52: caulis teneri mitioris sabuci in patinis cocti alvom solvunt . . . . .

Ser. v. 523: Aut edis in patinis tenerae decocta sabuci.

Plin. 28, 203: alvom solvit . . . lactis equini potus . . .

Ser. v. 525: Crede tamen potum meliorem lactis equini.

Plin. 23, 117: Fici sucus lactens . . . alvum solvit.

Ser. v. 527: Silvestris fici lacrimam prodesse loquuntur.

[1] id est ,ec lymphis tritum' (v. 485 cf.)

C. XXVIII.

Plin. 23, 141: Cerasia alvum molliunt, stomacho inutilia eadem siccata alvum sistunt . . . .
Ser. v. 538: Aut cerasi victum longo iam tempore pomum.
cf. Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. I, 157.

C. XXXI.

Plin. 23, 38: (sc. vino) urina et algor expellitur . . . . . vetus copiosiore aqua miscetur; quo magis urinam expellit minus sitis resistit.
Ser. v. 581: Haec mora rumpetur vino pervicta vetusto.

Plin. 24, 52: acini eius (sc. sabuci) infirmiores quam reliqua tingunt capillum, poti acetabuli mensura urinam movent.
Ser. v. 582: Proderit ex parvis acinos potare sabucis.

Plin. 24, 75: (sc. hederae) urinam cient potu.
Ser. v. 583: Aut hederae sucum . . . . (sc. potare) . .

Plin. 20, 237: (sc. sinapi) stomacho utilissimum contra omnia vitia . . . alvom mollit, menstrua et urinam ciet.
Ser. v. 583: . . . . . . aut lacrimosi trita sinapi.

Plin. 24, 16: radix (sc. cupressi) cum foliis trita pota vesicae et stranguriae medetur.
Ser. v. 591: Subveniet radix frondosae epota cupressi.

Plin. 20, 157: (puleium sc.) decoctum suco aequaliter vesicae . . . . .
Ser. v. 592: Puleiumve potens domitum ferventibus undis.

Plin. 22, 64: calculos e corpore mire pellit frangitque, utique nigrum, qua de causa potius quam quod in saxis nasceretur, a nostris saxifragum appellatum crediderim.
Plin. 36, 143: Spongitae lapides inveniuntur in spongeis et sunt marini. quidam eos tecolithos vocant

quoniam vesicis medentur, calculos rumpunt in vino poti.

Ser. v. 595: Saxifragam seu spongiten succurrere credunt.

Plin. 23, 166: (sc. myrti) semen cum vino potum aut oleo et aceto calculos frangit.

Ser. v. 596: Praeterea semen myrti silvestris Iaccho
Atque oleo mixtum bibitur nec desit acetum.

C. XXXII.

Plin. 28, 248: Si vulva leporum in cibis sumatur, mares concipi putant.

Ser. v. 609: Aut igitur leporis consumit femina vulvam.

Plin. 25, 39: mirumque est quod de utroque eorum genere proditur: ut mares gignantur hunc facere, ut feminae illam: hoc contingere, si a conceptu protinus bibatur sucus in passo edanturve folia decocta ex oleo et sale vel cruda ex aceto.

Ser. v. 613: Mercurialis item capitur communiter herba
Si cubitum noctu coniunx festinat uterque.

Plin. 26, 161: Partus accelerat . . . dictamni folia praeclare dantur ex aqua.

Ser. v. 615: Atque ubi iam certum spondet praegnatio fetum
Ut facili vigeat servata puerpera partu,
Dictamnum bibitur . . . . .

cf. Diosc. *π. ὑλ. ἰαρ.* III, 34.

Plin. 30, 126: cocleae in cibo sumptae adcelerant partum, . .

Ser. v. 617: . . . . cocleae manduntur edules.

Plin. 29, 47: tota ova adiuvant partum cum ruta et aneto et cumino pota e vino.

Ser. v. 624: Ova etiam rutae et fragili miscentur anetho
Quae diluta levi Baccho atque exhausta medentur.

C. XXXIII.

Plin. 29, 32: sucida lana inposita subditaque mortuos partus evocat.

Ser. v. 639: Sucida lana malos remoratur subdita cursus
Mortua quin etiam producit corpora partu.

Plin. 24, 13: Suberis cortex tritus ex aqua calida potus sanguinem fluentem ex utralibet parte sistit.

Ser. v. 642: Subereus cortex calidis potatur in undis
Ante minutatim studio vincente terendus.

Plin. 20, 157: ad lienem cum sale utile est et vesicae et suspiriis et inflationibus, decoctum suco aequaliter et vulvas corrigit . . .

Ser. v. 644: Pulei calido purgatur femina potu.
cf. Dinsc. π. ὑλ. ἰατρ. III, 30.

C. XXXIV.

Plin. 32, 136: ranae parvae quam in oculorum curatione descripsimus sanies efficacissimum psilotrum est, si recens inlinatur . . . .

Ser. v. 668: Corporibus vulsis saniem perducito ranae
Sed quae parva situ est et rauco garrula questu.

Plinius caput, quod est de curatione oculorum, conferri iubet, ubi eam ranam commemorat, cuius natura ex parte diversa est ab ea, quae a poëta in v. 669 explicatur. In historiae enim naturalis libro XXXII, 75: ‚est parva rana in harundinetis et herbis maxime vivens, muta ac sine voce . . . .‘ Hanc vero ranam Serenum commendare mihi persuasum est. Hoc enim genus ranarum ad pilos exstirpandos a veteribus medicis laudatur; sed eae, quae e lacubus vel paludibus coaxant, ranae non praescribuntur. Itaque sic scribo v. 669: Sed quae parva situ est n e c rauco garrula questu.

C. XXXV.

Plin. 24, 15: (sc. cupressi folia) testium quoque tumori cum cera inlinuntur.

Ser. v. 681: . . . . vel cera inmixta cupresso.

C. XXXVI.

Plin. 24, 47: (sc. populi albi) cortex potus ischiadicis et stranguriae prodest . . .

Ser. v. 697: Populus alba dabit medicos de cortice potus.

cf. Diosc. *π. ὑλ. ἰατρ.* I, 109.

C. XXXIX.

Plin. 24, 11: quidam commanducantes acinos expuunt cortices . . . emollit, discutit tumores, siccat strumas.

Ser. v. 746: Proderit et mansum quod traxeris arbore viscum.

cf. Diosc. *π. ὑλ. ἰατρ.* III, 93.

C. XLI.

Plin. 24, 57: ex his ergo aliquis cum rosaceo in calyce punici calfactus auribus infunditur vel folia cocta et cum cera trita imponuntur, item podagricis; cortice et foliis in vino decoctis foveri nervos utilissimum.

Ser. v. 771: Ergo age et abreptum salicis frondemque librumque
Cum vino tere, tum contractos perline nervos.

Plin. 24, 15: (sc. cupressi folia) eadem trita cum duabus partibus panis mollis e vino Ammineo subacta pedum ac nervorum dolores sedant.

Ser. v. 777: Aut si corruptus persederit altius humor
Tritus cupressus ibi Baccho iungetur acerbo,
Panibus et teneris cohibebitque addita questus.

Plin. 24, 53: podagricis cum sebo hircino vehementer prosunt cauliculi inliti . . . .

Ser. v. 780: Parva sabucus item est hircino conlita sevo.

Plin. 32, 123: Diversus hirudinum quas sanguisugas vocent ad extrahendum sanguinem usus est . . . . multi podagris quoque admittendas censuere.

Ser. v. 784: Sunt quibus adposita siccatur hirudine sanguis.

Plin. 22, 120: Sextus Pomponius praetorii viri pater, Hispaniae citerioris princeps cum horreis suis ventilandis praesideret, correptus dolore podagrae mersit in triticum super genua sese levatusque siccatis pedibus mirabilem in modum hoc postea remedio usus est.

Ser. v. 785: Non audita mihi fas sit, sed lecta referre:
Hoc quidam gravidus morbo per tempora messis
Vicino plantas frumenti pressit acervo
Evasitque gravem casu medicante dolorem.

C. XLIII.

Plin. 29, 31: (sc. lana) vulnera ex vino . . . . . expressa sanat . . . . . . (33) cinis eius inlinitur adtritis, vulneratis, ambustis.

Ser. v. 815: Sucida cum tepido nectetur lana Lyaeo
Ambustaeve cinis complebit vulneris oras.

Plin. 24. 48: Ulmi et folia et cortex et rami vim habent spissandi et volnera contrahendi.

Ser. v. 817: Concludet vero vel frons vel ramus ab ulmo
At sucis hederae pulcrescit foeda cicatrix.

C. XLIV.

Plin. 23, 126: Caprificus etiamnum multo efficacior fico . . . . lepras . . . , item venenatorum ictus et canis morsus.

Ser. v. 834: Manabit lactens caprifici sucus opellam.

Plin. 29, 78: Carnibus gallinaceorum ita ut tepebunt avulsae adpositis venena serpentium domantur, item cerebro in vino poto. Parthi gallinae malunt cerebrum

plagis imponere. ius quoque ex his potum praeclare medetur.

Ser. v. 841: . . . . . . gallinae aut iura vetustae.

Plin. 28, 150: pelles eiusdem (sc. cervi) animalis substratae securos praestant ab eo metu somnos . . . . . . fugiunt et omnino dentem cervi habentes aut medulla perunctos . . . . .

Ser. v. 851: Aut tu cervina per noctem in pelle quiesces
Aut genere ex ipso dentem gestabis amicum.

C. XLVI.

Plin. 29, 91: Prodest . . . . scorpio ipse suae plagae impositus . . . . . .

Ser. v. 866: Quod si vulnus atrox incussit scorpio ardens
Continuo rapitur, tunc digna caede revulsus
Vulneribusque aptus fertur revocare venenum.

Plin. 31, 65: quin et ad ictus venenator (sc. aqua marina) salutaris intellegitur, ut phalangiorum et scorpionum et ptyade aspide respersis, calida autem in his adsumitur.

Ser. v. 869: Aut calidis pelagi lymphis loca laesa foventur.
cf. Diosc. *π. ὑλ. ἰατρ.* V. 19.

C. XLVII.

Plin. 29, 79: alvum solvit validus e vetere gallinaceo (sc. iure), prodest et contra longinquas febres et torpentibus membris tremulisque et articularis morbis . . . . .

Ser. v. 893: Febribus aut longis galli nova iura vetusti
Subveniunt, tremulis etiam medicantia membris.

C. XLVIII.

Plin. 28, 83: Icatidas medicus quartanas finiri coitu incipientibus dumtaxat menstruis spopondit.

Ser. v. 910: Quidam etiam miranda ferunt veniente calore
Iurantes ludum Veneris munusque petendum.

C. LIII.

Plin. 30, 110: In contractione nervorum caro palumbina in cibis prodest et inveterata irenacei spasticis . . .
Ser. v. 977: Sin autem subito replicantur corpora morbo
Contractos revocat nervos caro sumpta columbae.

C. LIV.

Plin. 24, 88: charta quae fit ex eo cremata inter caustica est. cinis eius ex vino potus somnum facit, ipsa ex aqua inposita callum sanat.
Ser. v. 982: Carta igitur variis pinxit quam littera verbis
Uritur, inde cinis calido potatur in amni.

Plin. 25, 150: (mandragorae sc.) vis somnifica pro viribus bibentium.
Ser. v. 989: Nec non mandragorae gustu sopor additur altus.
cf. Diosc. *π. ὑλ. ἰατρ.* IV. 76.

C. LVI.

Plin. 30, 88: magnifice laudatur . . . . . . fel cum melle praecipue agninum, ...
Ser. v. 1015 . . . . aut conditum melle fel agni.

Plin. 30, 34: quidam et mustelae cineres. pari modo (i. e. cineri hirundinis) admiscent. sic ad strumae remedia dant et comitialibus cotidie potu.
Ser. v. 1018: Aptus mustelae cinis est et hirundinis una.

C. LIX.

Plin. 24, 45: (sc. platani) cinis pilularum sanat ambusta igni vel frigore.
Ser. v. 1042: Conversa in cinerem platani pila curat utrumque.

Plin. 29, 33: cinis eius (sc. lanae sucidae) inlinitur adtritis, vulneratis, ambustis.
Ser. v. 1045: Aut tu sucosae cinerem perducito lanae.

Plin. 28, 137: sincera axungia medetur ambustis vel nive . . .
Ser. v. 1051: Quodque rigens ussit glacies, axungia simplex
Mulcet et ex facili grata est medicamine cura.

C. LX.

Plin. 23, 147: (sc. iuglandes) eaedem praesumptae venena hebetant . . . .
Ser. v. 1056: Ante cibos igitur iuglandis fetus edatur.

Plin. 24, 7: folia et bacae vel cortex vel sucus decocti prosunt contra toxica.
Ser. v. 1058: Praeterea coctae querno cum cortice lymphae.
Conveniunt potu . . . . .

C. LXI.

Plin. 28, 158: Asinino lacte poto venena restinguntur . . . (160) sic quoque lacte bubulo cuncta venena expugnari tradunt . . . . .
Ser. v. 1071: Lacte asinae placidaeque bovis prodesse loquuntur.

cf. Plin. 25, 127: Potu omnia mala medicamenta exigit per alvum vettonicae semen in mulso aut passo . . .
Ser. v. 1072: Vettonicam ex parco sumunt plerique Lyaeo.

C. LXII.

Plin. 24, 86: Harundo Cypria quae donax vocatur corticis cinere alopecias emendat, item putrescentia ulcera.
Ser. v. 1081: . . . . . . cineres vel harundinis altae
Inducas . . . .

Plin. 28, 190: nam coagulum leporis e vino in linteolo exulceratis dumtaxat inponitur.
Ser. v. 1084: . . . . leporisve adspersa coagula vino.

Plin. 24, 78: inlinitur decocta quaecumque in vino omnium ulcerum generi etiamsi cacoethe sint.
Ser. v. 1085: Aut hederam Baccho decoctam . . . . . .
cf. Diosc. π. ὑλ. ἰατρ. II, 210[1].

Plin. 24, 38: (sc. pix) . . . . purgat et putrescentia ulcera, quae vero serpunt cum pineo cortice aut sulpure.
Ser. v. 1090: Pinea praeterea vivo cum sulphure cortex
Et pice cum spissa iam perdita membra reponit.

C. LXIII.

Plin. 26, 150: tithymalli omnes genera verrucarum omnia . . . . tollunt.
Ser. v. 1098: Est tithymallus item tali satis apta medellae.

[1] Viri docti, qui adhuc de fontibus Sereni disseruerunt, statuere et Plinii et Dioscoridis libros ab illo poëta esse excerptos. (cf. Ackermann. l. l.; Teuffel-Schwabe, G. d. röm. Litt. 1890[5], p. 970.) At ego vero in libris quidem περὶ εὐποριστ. φαρμακ. nullum locum inveni, qui iure ad praecepta Sammonicea referri possit. Ei autem loci Sereni, qui ad libros περὶ ὕλης ἰατρικ. spectare videntur ad unum omnes cum Plinianis congruunt; desunt a Plinio alieni in libris Dioscoridis. (Illos locos adnotavi ad Ser. v. v. 34, 46, 85, 133, 149, 154, 211, 345, 503, 538, 616, 632, 697, 700, 840, 989, 1061, 1085, 1095.) Apparet igitur locos Sammoniceos adhuc ad Dioscoridem relatos ad naturalem historiam Plinii esse referendos, ex qua in eos, quibus Serenus usus est, libros translati sunt. Conexus autem, qui est inter Plinium et Dioscoridem, inde ortus est, quod uterque eundem auctorum scilicet Sextium Nigrum exscripsit. (cf. Wellmann, Hermae Vol. 24, 536 eqs.)

IV.

In fine nostrae commentationis complures locos ponimus, qui, etiamsi de horum origine certum iudicium non facimus, tamen in editione Medicinae Pl. maiore infuisse possunt et digni sunt, qui sive obiter sive accuratius tractentur.

Plin. 31, 125: Imponuntur et spongeae ipsae epiphoris ex posca et ex aceto calido ad capitis dolores.

Ser. v. 19: Spongia cum tepidis adnexa liquoribus imbris profuit . . . . .

Loci laudati, etiamsi vox ‚tepidis' illi ‚calido' bene respondere videtur, discrepant in liquoris adhibendi genere. Liquor scilicet imbris vertitur ‚regenwasser'[1]. Si igitur locus Sammoniceus l. re vera ad Plini[2] locum c. spectat, poëta illum obiter legit vel excerpsit.

Similiter res sese habet in iis qui secuntur locis:

Plin. 20, 201: Semine quoque eius (sc. papaveris) trito in pastillos e lacte utuntur ad somnum, item ad capitis dolores cum rosaceo . . . .

Ser. v. 24: . . . . prosunt et amica papavera somno
Si prius in lento madefacta terantur olivo.

[1] Baur, l. c. p. 67.

[2] Nimirum intellengenda est hoc loco et iis, qui secuntur, editio maior Medicinae Pl.

Plin. 20, 103: (sc. bulbi) vitia quae sunt in facie rubentes maxime in sole inliti cum melle et nitro emendant, lentiginem cum vino aut cum aceto.
Ser. v. 145: Proderit et bulbus mellis dulcedine victus.

Plin. 28, 150: pelles eiusdem animalis (sc. cervi) substratae securos praestant ab eo metu somnos, coagulum ex aceto potum ab ictu et si omnino tractatum sit, eo die non ferit serpens.
Ser. v. 838: Cervino ex fetu diluta coagula vino
Sumuntur, quae res membris agit atra venena.

Plin. 25, 127: Potu omnia mala medicamenta exigit per alvum Vettonicae semen in mulso aut passo.
Ser. v. 1072: Vettonicam ex parco sumunt plerique Lyaeo.

Plin. 24, 18: phthiriasis perunguere eo non dubitaverim, item porrigines.	Med. Plin. 12, 14: item per se ex cedro inlinuntur.

Ser. v. 40: Et prodest cedro demissus ab arbore sucus.

Liceat simul hos locos afferre:
Ser. v. 67: . . . . . . aut suco perducere cedri.

Plin. 24, 18: (sc. cedri sucus) facilius in elephantiasi inlinunt.	Med. Plin. 34, 14: cedro inlinuntur.

Ser. v. 131: Huic erit adversus cedri de cortice sucus.
cf. Diosc. π. ὕλ. ἰατρ. I, c. 105.

His locis laudatis auctores de suco cedri exanthematibus adhibendo locuntur. Hunc autem sucum, cum viri docti de eo disputarent [1], alii cedrium [2], alii vocaverunt cedriam. Sed hoc minime quadrare Plinius XXIV, 17 docet. Sane quidem Plini verba obscura sunt sensuque carent: ‚cedri sucus ex ea quomodo fieret . .‘ Vox ‚cedri‘ sine dubio interpolatoris est; quam si delemus, quid Plinius dicere voluerit, intellegi potest.

[1] adnot. ad v. 43. ed. Ackermann.
[2] Plin. XVI, 52.

Auctorem Medicinae Pl. illos locos e Plinio sumpsisse, Roseus coniecit, cui assentior. Sed adnotandum est, Medicinam Pl. ubique ,cedrum' praebere, quod verbum Roseus in apparatu critico editionis (p. 34, 14) recte interpretatur. Sed dubitò, num auctor Medicinae Pl. re vera ,cedrum' scripserit. Nam cedrum pro suco cedri nusquam nisi apud poëtas legimus. Huc accedit, quod Marcellus Empiricus, qui Medicinam Pl. excerpsit, ,cedriam' (p. 42, 2) praebet. Itaque maluerim auctorem Medicinae Pl. verbum ,cedrium' adhibuisse.

Plin. 20, 239: utuntur eo (sc. sinapi) ad . . . phthiriasis.
Ser. v. 64: Saepius ergo decet mordax haurire sinapi.

Ex iis quae antecedunt verbis Plinianis apparet hoc loco ,uti' idem significare ac ,imponere'. Serenus autem sinapi esse hauriendum dicit.

Atque similis discrepantia inter auctores est hisce locis:

Plin. 28, 152: . . . . . contra ictus valere, item . . . . . caseum caprinum cum origano inpositum.

Ser. v. 872: Caseus aptus erit pavidae de lacte capellae
Cumque hoc absumi debebit origanus herba.

Plin. 29, 88: . . . . contra omnium morsus remedio est gallinaceorum cerebrum cum piperis exiguo potum in posca.	Med. Plin. 109, 18; gallinacei cerebrum cum piperis exiguo additur in puscae potione.

Ser. v. 877: Exiguo piperis cerebrum conspargito galli
Quo lita sanescent depulso membra dolore.

Plin. 20, 260: (sc. ferulae) radix denari pondere in vini cyathis duobus bibitur adversus serpentes, et ipsa radix imponitur.	Med. Plin. 110, 12: radix ferulae ex vino medetur imposita.

Ser. v. 840: Aut ferulae radix potatur in imbre Lyaei.

Plin. 30, 134: idem evenire traditur sanguine ricini evulsi cani.

Ser. v. 665: Sanguine vel ricini, quem nigro[1] de cane vellis.

Plin. 30, 71: Ischiadicis cocleas crudas tritas cum vino Amineo et pipere potu prodesse dicunt . . .	Med. Plin. 43, 3: cocleae crudae tritae ex vino Amineo cum pipere bibuntur.

Ser. v. 701: Aut ex Bithyno cocleas haurire Lyaeo.

Plin. 30, 108: Furunculis mederi dicitur . . . . ex gallinaceo fimo quod est rufum maxime recens inlitum ex aceto	Med. Plin. 82, 4: Fimi gallinacei id quod rufum est recens inlinitur ex aceto.

Ser. v. 714: Praeterea fimus ex gallo quod legeris album[2]
Imbribus ex acidis fidens adpone dolenti.

Plin. 25, 101: datur ex vino percussis chelidonia, morsibus inponitur Vettonica praecipue, ...	Med. Plin. 110, 24: vettonica herba trita morsui imponitur.

Ser. v. 841: Vettonicaeve leves . . . . (sc. potatur).

Inclinat animus, ut putem Serenum ab auctore Med. Plin. pendere, cum remedia ipsa paene verbotenus consentiant. Differentiae autem, quae sunt, inde ortae esse videntur, quod poëta locos laudatos vel obiter legit vel e sua sententia corrigere studuit.

Iam ea repetamus quae de auctoribus Sereni intellexisse mihi videor:

1. Serenus neque Dioscoridis libros neque historiam naturalem Plinii excerpsit.

[1] Hanc vocem Serenus addidisse videtur ex suo arbitrio. Nam praecipue et album et nigrum colorem in rebus superstitiosis multum valere ipse scivit.

[2] albo (vulgo).

2. Serenus hausit ex editione maiore Medicinae Plinianae.
3. Editio maior Medicinae Plinianae post Sereni aetatem in angustum coacta est.
4. Hoc breviarum in codicibus St. Gall. et Dresd. traditum est (ed. V. Rose.) . .

Index loc. mèmorab.